26686/C

380

CATALOGVS PLANTARVM

HORTI CAESAREI FLORENTINI.

83630.

CL. PETRI ANTONII MICHELII

CATALOGVS PLANTARVM HORTI CAESAREI FLORENTINI

OPVS POSTVMVM

IVSSV SOCIETATIS BOTANICAE

EDITVM, CONTINVATVM,

ET IPSIVS HORTI HISTORIA LOCVPLETATVM

AB IO. TARGIONIO TOZZETTIO FLOR. MED. D.

REI HERBARIAE PROF. PVB.

BIBLIOTHECAE PVB. MAGLIABECHIANAE PRAEFECTO,
ET S. R. I. ACADEMIAE NATVRAE CVRIOSORVM
COLLEGA.



FLORENTIAE. A. M.D.CC.XLVIII.

Ex Typographia Bernardi Paperinii.

CVM ADPROBATIONE.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

IMPERATORI CAESARI

FRANCISCO

PIO, FELICI, AVGVSTO,
PRINCIPI OPTIMO INVICTISSIMOQVE,
PATRI PATRIAE,
ADSERTORI VIGILANTISSIMO QVIETIS
ET SECVRITATIS PVBLICAE,
GERMANIAE, ET HIEROSOLYMORVM REGI,
LOTHARINGIAE, BARRII, ET MAGNO
ETRVRIAE DVCI
ec. ec. ec.

IO. TARGIONIVS TOZZETTIVS
NVMINI MAIESTATIQVE EIVS DEVOTISSIMVS
PERENNEM INCOLVMITATEM.

DIU multumque exoptaveram devotiſſimae ſubiectionis meae teſtimonium aliquod, & gratiſſimi ſimul animi, ac fideliſſimi ſervitii

ſpeci-

ſpecimen ad Pulvinar Tuum deferre, Caesar Augustissime; *ſed ingenii mei tenuitatis conſcius, non auſus ſum rudibus meis lucubratiunculis Tua Tempora morari, & in publica commoda peccare. Voti tandem compotem factum me gratulor, quando a Societate Botanica iuſſus ſum ad editionem parare, &* Caesareae Maiestati Tuae *humillima veneratione offerre* Catalogum Plantarum *quibus modo conſitus eſt vetuſtiſſimus, elegantiſſimuſque Tuus Hortus Florentinus. Non indignum ſiquidem* Maiestate Tua *munuſculum iſtud Societati viſum eſt, eo potiſſimum quod Tuis Auſpiciis, Tuaque Munificentia in lucem prodeat; quod Horti Tui decora exponat; quod plures Plantarum novas ſpecies Eruditis exhibeat; quod tandem Celeberrimi* Michelii *præcipua opera comparatum ſit, qui Botanicis ſtudiis incredibili diuturnoque labore excultis ita inclaruit, ut nemini ſecundus, plurimis ingenii laude, & inventorum gloria longe praeſtet.*

Haec igitur fiduciam mihi inſpirarunt, ut provolutus ad Sacros Pedes Tuos, Potentissime Imperator, *auderem venerabundus offerre exilia*

etiam

etiam ſtudiorum meorum ſpecimina Micheliano Operi adſuta, quae ſi Clementiſſima, Solitaque Tua Aequanimitate excipere non dedignaberis, Caesar Augustissime, *quemadmodum humillima, qua par eſt, veneratione rogo, atque ſupplico, praecipuum laboris mei fructum conſequutum me fuiſſe laetabor. Addidit illud etiam mihi audendi animum, quod innumeras inter ſublimeſque Animi Tui Dotes, ſummus ut in reliquas omnes Optimas Diſciplinas, ita in iucundiſſimam quoque, & praeſtantiſſimam Rerum Naturalium Scientiam Amor excellat. Omnis profecto aetas, quae quidem Litteras amabit, meritis laudum praeconiis efferet Comitatem illam Tuam Incomparabilem, qua ſummos quoslibet in Phyſicis ſtudiis Viros excepiſti, Diligentiam qua Philoſophicis conſeſſibus intereſſe voluiſti, Jucunditatem qua Hortos Medicos, Muſaea, & Bibliothecas viſitaſti in memorando illo Itinere per florentiſſimas Europae Provincias peracto, ut quaecumque ad Optimum Principem formandum prodeſſe poſſent obſervares. Profecto non ſine voluptate mecum recolo quae Vir ſummus, & Fautor meus* Hermannus Boërhaavius

ad

ad me perſcripſit in Epiſtola d. ad d. 3. Kal. Apriles A. 1738. qua mecum gratulatus eſt Etruriae ſortem, cui Rex & Pater Divino Munere paulo pridem obtigeras; poſtquam enim Laudes Tuas iuſtiſſimo praeconio extulit: florebunt, ait, apud vos Rerum Naturalium cultus & ſtudia, ſub Principe cui a Natura, cultura, & affectu omnes Dotes inſitae, quae Muſageten perficiunt; ſubditque, coram ſtupefactus admirabar, quando SERENISSIMUS HEROS *Domi meae ultra bihorium impendit ſpectandis & ſapientiſſime conſiderandis Rebus Naturalibus. Verum quid externis teſtimoniis indigemus, quum Etruria noſtra univerſa abunde experta ſit, & ſatis depraedicare non valeat Paternum Tuum Animum in Optimas quaſque Diſciplinas, & praecipue erga Naturalem Hiſtoriam? Societas quidem Botanica erit Auguſtae Tuae Clementiae monumentum aere perennius, quod illam Gratioſiſſimo Patrocinio nobilitaveris, & Munificentia fulſeris; quodque illi Horti Tui Florentini curam commiſeris, & praeclarum munus demandaveris conſcribendae Hiſtoriae Naturalis Etruriae, unde maior ſemper (quod*

unice

unice optamus) Sacratiſſimo Tuo Nomini Claritas & Celebritas, Etruriae ſplendor & fama, Populis tandem Tuis certum commodum atque emolumentum proficiſcatur.

Quae quum ita ſint, accipies ſpero, Caesar Potentissime, *Sereno Vultu librum hunc, tamquam ſpecimen ſedulitatis Societatis Botanicae in Juſſis Tuis implendis, ut ipſamet Societas Auguſta Approbatione recreata alacrius in Horti ſibi commiſſi curam & ſplendorem incumbat, brevique illum ceteris vel celebratiſſimis Hortis Medicis aequiparandum reddat.*

Utinam vero Clementiſſima Aequanimitate excipere non graveris, Invictissime Imperator, *ſtudiorum quoque meorum exbiles has primitias, quas venerabundus Tibi offerro! Utinam non iniucunda Tibi accidat Diſſertatiuncula, qua non ſine labore Horti Tui Hiſtoriam Litterariam ab oblivione Hominum, atque ab interitu vindicavi! Atque utinam in Appendice ad Catalogum Michelianum probare digneris diligentiam meam in Rei Herbariae ſtudiis pro iniuncto Publicae Profeſſionis munere excolendis, & curam impenſam in eodem Horto Caeſareo cu-*

ſtodien-

ſtodiendo ac locupletando, vel inſtitutis tribus laborioſis excurſionibus, tum ut Plantas rariores in ipſum Hortum deferrem, tum etiam ut Naturalem Etruriae Hiſtoriam melius addiſcerem, & illuſtrare aliquando poſſem!


Si haec pro voto ſucceſſerint, acriores mihi ſtimulos ad laudem & gloriam addi ſentiam, & quum dedicata iam Tuo Iuſſu, Tuiſque Auſpiciis Bibliotheca Magliabechiana, cuius Praefecturam mihi benigniſſime commiſeras, liberatus ſim gravi labore quem per novennium impendi in digerenda, & ad publicos uſus paranda ipſamet Bibliotheca, nil mihi erit antiquius, quam ut otia, quae mihi, Caesar Munificentissime, *feciſti, ponam omnia in ſtudiis, & lucubrationibus. Conatibus itaque meis Benignus adſpires, quemadmodum ſuppliciter & humillime rogo, ut Te Auctore, Te Auſpice reliqua maioriſque momenti Micheliana Opera poſtuma, tandiu Eruditorum votis expetita, edere poſſim, & nonnullas meas commentationes de Etruriae Naturali Hiſtoria in ordinem redigere, inque Tui Populi utilitatem exhibere aliquando valeam.*

Quod

Quod ſupereſt, Deum Optimum Maximum *ardentiſſimis precibus oro, ac per totius Chriſtiani Orbis ſalutem & tranquillitatem obteſtor, ut* Sacram Caesaream Maiestatem Tuam *ſimul cum* Augustissima Coniuge, *&* Regia Sobole *ſalvam conſervet & incolumem, omnique proſperitatis genere in dies magis ac magis cumulet.*

Florentiae Cal. Sextilibus A. MDCCXLVIII.





Antonius Falleri fecit *Marcus Ant: Corſi Sculp: flor*

IOANNIS TARGIONII TOZZETTII
PRAEFATIO
QUA CAESAREI HORTI MEDICI FLORENTINI HISTORIAM COMPLECTITUR.

REI Herbariae ſtudium in Urbe noſtra, Bonarum quarumcumque Artium Matre vel Altrice, Fautores & Amplificatores eximios ſemper invenit. Facem ei praetulere *Angelus Politianus* (1), & *Marcellus Virgilius* (2), exornarunt, ut de ceteris taceam, *Petrus Franciſcus Paulius*, *Leonardus Iachinus*, *Iacobus Minius*, & *Athanaſius* Galenicae Medicorum

(1) V. Elegantiſſimam eius Sylvam quam *Ruſticus* inſcripſit in Heſiodi Virgiliique Georgicorum enarratione pronunciatam, in qua magnam Agricolationis univerſae peritiam oſtendit. Vide ſis praeterea quae de Ciſſo, Ciſtoque Pliniana erudite ſolideque cum Nicolao Leoniceno diſputavit, & ea quae de Gnaphalio, Gallicaque Nardo ad Pandulphum Collenutium conſcripſit Lib. 2. & 7. ſuarum Epiſtolarum.

(2) Tournefort Iſag. in Rem Herb. pag. 23.

eorum Sectae propugnatores acerrimi (3); at ſtabilem ſedem, & domicilium certum delegit *Coſmus Medices* Magnus Dux Etruriae Primus. Hic enim inter ipſa Imperii primordia, difficillimiſque temporibus, Piſanam Academiam inſtaurare aggreſſus (4), Rei Herbariae Cathedram in ea conſtituit, & Veneti Ampliſſimi Senatus exemplum ſequutus (5), Publicum Hortum fundavit in quo ſparſae per varia Terrarum loca, diffuſaeque Stirpium ſpecies transferrentur, & colerentur, fieretque veluti quaedam univerſalis Plantarum epitome, atque conſpectus. In ipſo ornando conſtruendoque uſus eſt conſilio *Lucae Ghinii* Forocornelienſis (6), quem idcirco A. MDXLIV. (7) in Piſanam, perhonorifice, amploque ſtipendio invitavit, e Bononienſi Academia, in qua iam inde ab A. MDXXVII. Botanici praeſtantiſſimi famam ſibi comparaverat.

Paucis tamen poſt Annis probe perſpexit *Coſmus* ex unico Piſano Horto Scholaſticos eam, quam ſecum animo propoſuerat, utilitatem capere nequaquam poſſe. Piſani ſiquidem Caeli & Soli genius Plantis Alpinis, Frigidarumque Regionum propriis non favet; praeterea Anni Scholaſtici ratio paucarum tantummodo Plantarum integram obſervationem Studioſis concedit, illarum ſcilicet, quae Verno tempore florent; at reliquarum omnium invidet Aeſtate, & Autumno ad maturitatem pervenientium. Eapropter, optimo ſane conſilio, magnoque diſcentium bono, alium Publicum Hortum Medicum Florentiae in Urbe Principe funda-

(3) V. Anonymi Dialogum qui *Barbaromaſtix* ſive *Medicus* inſcribitur, impreſſuſque eſt primo loco inter Nova Florentinae Academiae Opuſcula adverſus Avicennam & Medicos Neotericos, qui Galeni diſciplina neglecta Barbaros colunt.

(4) Gio. Bat. Adriani Iſt. de' ſuoi tempi L. 3. pag. 185. ed. Ven. 1587.

(5) Thomaſinus de Gymn. Patav. 84. & Papadopolus Hiſt. Gymn. Patav. T. 1. 13.

(6) Pet. Andr. Matthiolus Praef. in Dioſcoridem ſuum Edit. Valgriſ. in F. 1185.

(7) A. 1544. Ghino in Bononienſi Cathedra ſuffectus fuit, & praelectiones ſuas publicas auſpicatus eſt Caeſar Odonus, quemadmodum per Litteras certiorem me fecit Cl. idemque Humaniſ. Joſeph Montius tantorum Virorum ſucceſſor.

fundavit, elegantia paucis comparandum, in quo tamquam Naturae Vegetantis compendio, Regiis ſumptibus colerentur Plantae variarum Regionum propriae, & quarum frequentior uſus eſt apud Medicos. Ita Patriae ſuae ornamenta auxit, & Horti Piſani inopiam abunde ſupplevit. Medicinae ſiquidem Candidati per Ferias Academicas in celeberrimo Florentino D. Mariae Novae Valetudinario Clinicae ſedulam operam navantes, & Chirurgi, ac Pharmacopoei ſaluberrimarum Artium tyrocinia deponentes, per ocium, opportuno tempore, & magno laboris compendio Fruticum Herbarumque formas, variationes, & facultates in Horto Florentino addiſcere poſſent, & deinde in publicam utilitatem illas uſurpare.

Quonam Anno facinus id exorſus ſit, nondum compertum habeo: illud ſolummodo certum eſt Hortum Florentinum abſolutum fuiſſe ante Annum MDLVII. quo Senenſium Rerum potitus eſt *Coſmus*, & *Florentiae ac Senarum Dux* appellari coepit. In Epigraphe ſiquidem in ſupero limine maioris Horti Portae, *Coſmus Medices Florentiae Dux II.* tantummodo nuncupatur.

In Horto Florentino extruendo, ornandoque *Coſmus*, quemadmodum & in Piſano fecerat, uſus eſt conſilio *Lucae Ghinii* (8) ſuperius memorati, nulliſque ſumptibus pepercit, ut elegantioribus Etruriae Viridariis Hortus hic accenſeri poſſet, quae tamen Viridariorum per diverſas Europae partes tunc temporis uſitatorum elegantiſſima erant (9).

Architecton quisquis (10) Horti ornatui praefuit, ſollers certe fuit: Topiariis enim Porticibus, Sylviſque inaequalitatem Areae laterum occultavit; Aream ipſam

(8) Leopoldo del Migliore Firenze Illuſtrata pag. 238.

(9) Bellonius de neglecta cultura ſtirpium Probl. 20. 21. & 22.

(10) Num fuit Nicolaus *Tribolo* nuncupatus, quo Coſmus in ornando Viridario Regiae Villae Caſtelli uſus eſt V. Vaſari in eius Vita & Baldinucci Decen. 1. della P. 2. del ſec. 4. num vero Bernardus Bontalentius, qui paulo poſt Regium Boboleum Viridarium inſtruxit? V. Baldinuc. in eius Vita.

ipſam in ſpatia, ac pulvillos daedaleos variis ambulacris diſtinxit; Coloſſaeis *Aeſculapii*, & *Dioſcoridis* marmoreis, ac porphyreticis Protomis decoravit; Hydrophylacium ſatis amplum, Inſulamque in centro amoeniſſimam fecit, quam Fonte, variiſque Avium e roſtro aquam iaculantium marmoreis ſtatuis ornavit, ab *Antonio Gini Laurentii* Septimianenſi [11] affabre ſculptis. Ut aqua Plantis irrigandis opportuna, largaque copia adeſſet, *Coſmus* Mynionem fluvium [12], Lanariorum commoditati reſpiciens, intra Florentiam derivaturus, per Hortum deduci curavit, idem quoque facturus de Fonte uberrimo, quem e Feſulanis Collibus Florentiam perducere aggreſſus eſt [13].

Nec exiguum Horto huic decus accedit, quod haud obſcuris indiciis coniicere licet ipſum conſtructum fuiſſe ſuper aliqua parte ſoli, in quo immortalis

(11) Giorgio Vaſari Vite de' Pittori P. 3. 289.

(12) Inter Sanleolinii Actiones Coſmianas pag. 53. recenſetur *Mynio Fluvius intra Florentiam occultis canalibus deductus*. F. Agoſtino del Riccio Trattato d'Agricoltura Mſ. T. 1. 33. ait: *Il Granduca Coſimo volendo condurre una gran copia d' Acque alla Città di Firenze, fece fare una gran Peſcaia ſopra il Ponte alla Badia in Mugnone, & in far queſta Peſcaia ſi tenne queſt' ordine, che ſi tagliò il Fiume a tagliaporro, e così ſi entra ne canti de dua Campi più braccia, & faſſi un Muro a traverſo, e poi ſopra detto Muro profondo più che non è il letto del Fiume, vi ſi fa una volta forte, che ad ogni due braccia abbia una buca a uſo di coda di Rondine, come ſono le feritoie che ſi fanno agli Archibuſi, ed Artiglierie ne' Muri, che in verſo i Muri ſono ſtrette, e in bocca ſon più larghe. Così ſon queſte buche, che ſi fanno nel fondo della volta, acciocchè l' Acque poſſin paſſare purgate, e entrare in quella Volta, e di quella Volta poi ſi mandano al Condotto. = Così facevano gli Antichi Romani, e così ordinò il ſuo Condotto il Granduca Coſimo, con una Volta tanto alta, che vi va un' Uomo, & ha dui muricciuoli dove poſſono andare ſu ſu per il Condotto dui Uomini ritti, e per il mezzo poi vi ha fatto murare le docce aperte, che conducono per il Condotto un mezzo braccio d' Acqua*. Et pag. 25. de Horto noſtro ait: *Quel che poi gli da grand' ornamento è che è abbondante d' Acque, che vengono dal fiume Mugnone; ma molto più ſarà quando il Condotto ſarà fornito, e l' Acque Criſtalline che verranno del fiume ſopraddetto Mugnone, che cominciò a farlo venire la felice memoria del Granduca Coſimo, e poi fu ſeguitato dal ſuo Figliuolo il Granduca Ferdinando. Ma è ſtato gran danno a i poveri Giardini di Firenze, che detto Condotto non ſia fornito, poiche è ſi appo la Città fatto, cioè a tre Viſi. Io ſono ſtato dentro a detto Condotto con molto mio piacere, poichè è ſtato fatto con tanta grandezza e magnificenza, non perdonando a ſpeſa, eccetto, che molte braccia appreſſo a tre Viſi, che furno certi che guaſtorno quel bell' ordine delle volte teneva Meſſer Jacopo Biondi Fiorentino, ec.*

(13) Baccio Baldini Vita del Granduca Coſimo I. pag. 70.

lis *Nicolaus Uzzanius* (14) de Patria ſua Florentia egregie meritus ampliſſimum Lycaeum conſtrui ſupremis Tabulis iuſſerat (15).

Quamvis Hortus Florentinus quartum inter Hortos Medicos locum antiquitatis ordine ſibi iure merito vindicet, poſt Patavinum nempe, Bononienſe, & Piſanum; Nullam tamen de ipſo mentionem invenies apud Scriptores Hiſtoriae Hortorum Medicorum. Contigit id fortaſſe quia Hortus noſter alicui Lycaeo addictus non fuit; Demonſtratorem Botanicum aſſidue non habuit; eius Catalogum nemo edidit; vel tandem quia *Mediceorum* Principum deliciis tantummodo inſervire creditus eſt. Scriptoribus quidem externis ſuccenſere iniquum eſſet, ſi illum non norunt; at Noſtrates, & ii praeſertim plurimi, qui *Coſmi I.* geſta litteris conſignarunt, culpa non vacant, quod inter praeclaras illius actiones Horti Florentini fundationem non recenſuerint, quae tamen, ſi tempora reſpicias, Regium plane, & ſumma laude dignum facinus extitit. Fortaſſe Scriptores hi omnes ex illorum Cenſorum genere fuere, quos repraehendit *Auguſtinus Riccius* (16), qui per ea tempora floruit, & diſerte fundationis huius gloriam *Coſmo* tribuit (17).

† Parum

(14) Ab Uzzano Vallis Peſanae Pago nomen Patriciae huius Familiae deductum eſt.

(15) In Codice inſcripto: *Stratto dal Libro de' Teſtamenti, e dal Quaderno de' Ragionieri fatto nel* 1495. *e da altri Libri dell'Arte de' Mercatanti detta di Calimala*, qui Mſ. adſervatur in Bibl. Pub. Magliabechiana, Pag. 18. ſub die 17. Sept. A. 1430. legitur: *Niccolò di Giovanni de' Cattani da Uzzano per Teſtamento laſciò una Caſa nominata la Sapienza accanto a' Servi, alla quale per finirla una entrata di Fiorini* 1505. *per anno in credito di Crediti di Monte del Comune di Firenze, per ſpeſare i poveri Scolari; della qual Sapienza volſe la cura eſſer commeſſa all'Arte e Univerſità di Calimala, e che ſi faceſſero quattro Provveditori del Collegio di detta Arte, e che duri l' Officio loro a Vita.* De Hereditatis huius fato vide ſis Leop. del Migliore Firenze Illuſtrata pag. 103. & Vaſari Vita di Lorenzo di Bicci, & Vita di Filippo Brunelleſchi, & Segni Iſtoria Fiorentina lib. 6.

(16) Trattato d'Agricoltura Mſ. T. 1. 26. *E' grand' errore di certi, che ragionano qualche volta, che queſto Giardino delle Stalle non rende utilità, e che biſognerebbe metterui Piante da Ortolani: Queſti tali non moſtrano aver caro che il Padrone di queſto Giardino, e d' altri Giardini, abbino lode, & onore nella Città e fuori; poichè detto Giardino è nominato, e quel di Piſa per tutto il Mondo, ſi di bellezza, ſi di abbondanza di Piante &c.*

(17) Ibid. T. 2. 330. & 332. *In particolare una ſpecie di Ciliegie non guari di tempo che furono portate da Meſſer Giuſeppe Bene in caſa Fiammingo nel Sempliciſta delle Stalle Ducale, il qual fu fatto dal Granduca Coſimo, e poi abbellito da' ſuoi Figliuoli &c.*

Parum autem erat conſtructioni & ornatui conſuluiſſe, niſi cultui quoque & uſui proſpectum fuiſſet. Eapropter *Coſmus* annuam dotem Horto largitus eſt; rariſſimas Plantas *Ghinii* ductu e longinquis regionibus in ipſum transferri curavit, ac expertis Viris ſtipendium conſtituit, ut Studioſis Plantarum formas facultateſque indicarent (18).

Quinam fuerint primi in Horto noſtro Plantarum Demonſtratores, latet; ſed quum nullum reperire contigerit ad Annum uſque MDLVII. quo nempe e vivis exceſſit *Lucas Ghinus*, coniicere licet ipſum duplici Rei Herbariae Profeſſoris munere functum eſſe, Piſis ſcilicet, & Florentiae, adeout Herbarium curriculum Piſis incohatum in Florentino Horto per Ferias Academicas absolvere conſueverit: ſcimus enim ipſum tunc temporis Florentiae in Aula plerumque commorari ſolitum fuiſſe (19).

Ghino e vivis ſublato, unum tantummodo Horti Florentini Praefectum Regnante *Coſmo I.* detexi; *Aloyſium* nempe *Leonium* Bellunenſem, *Ghinii* fortaſſe diſcipulum. Quandiu tali munere perfunctus ille ſit, non liquet: ſolummodo ab A. MDLVII. ad MDLXIII. eius nomen in Albis Familiarium Magni Ducis legitur, adſcripto titulo, *Simpliciſtae*, ſeu *Simpliciarii Generalis* (20). Reticendum non eſt in Albis quibusdam *Simpliciſtam Generalem Studii Piſani* appellari *Leonium*, quamvis dubio procul non Horti Academici Piſani, ſed huius Florentini, & omnium fortaſſe Regiorum Viridariorum cura commiſſa ipſi fuerit. Certe inter Academiae Piſanae Botanicos nullatenus a *Vigna* (21) recenſetur, & annuum

(18) Migliore, Firenze Illuſtrata pag. 239.

(19) V. Epiſtolam Io. Heſſi ad Matthiolum editam in Lib. 3. Epiſtolarum Medicinalium Petri Andr. Matthioli, Lugd. 1564. pag. 324.

(20) Eſtratto de' Ruoli de' Salariati del Granduca Coſimo I.
—— 1559. *Meſſer Luigi Lioni da Belluno Sempliciſta Generale Scudi 200. l' anno.*
—— 1557. e 1559. *Meſſer Luigi Lioni Generale Sempliciſta dello Studio di Piſa &c.*
—— 1563. *Meſſer Luigi Lioni Sempliciſta Scudi 16. il Meſe.*

(21) Praef. in Animadverſiones in Theophr.

nuum ſtipendium ſatis amplum, non ex Aerario quod Piſana Academia peculiare habet [22], ſed ex Aerario Publico Florentino [23] ipſi perſolvebatur. Quamvis nullam de *Leonio* mentionem factam invenerim apud Scriptores Botanicos; inſtar tamen omnium eſſe poterit luculentum quod de illo praebuit teſtimonium ipſe Magnus *Coſmus*: *Vincentio* ſiquidem *Fidelio* Reip. Venetae a Secretis, & apud ſe Ablegati munere fungenti, *Leonii* Herbariam peritiam ſplendido extulit elogio, ſubdiditque ſe illum in Indiam mittere conſtituiſſe ad perquirendas deportandaſque Plantas, periculum facturus ipſe, an Indicae Plantae aequales cum Italicis vires ad depellendos morbos ſortitae eſſent [24].

Ab A. MDLXIII. ad dimidium & quod excedit *Franciſci I.* Regnum, qui nam Horto noſtro praefuerit, non liquet. *Franciſcus* ſane Patris exemplis inſiſtens, peculiari erga Rem Herbariam amore flagravit, adeo ut Botanicum in Aula ſua habuerit *Franciſcum Mazzeranghium* Bargaeum, qui Plantarum conquirendarum gratia plura itinera ſuſcepit, in quibus, praeter cetera, *Iaſpidis Bargaei* celebratiſſimi Metalla detexit [25]. Italicis tamen Plantis non contentus Magnus Dux, nullis impenſis pepercit, ut ex omnibus fere

† 2 Terrae

(22) Vulgo *Decime Eccleſiaſtiche*.

(23) Vulgo *Monte Comune*.

(24) In Codice inſcripto: *Relazione di Meſſer Vincenzio Fidele Segretario della Signoria di Venezia ritornato dal Duca di Firenze* (nel 1561) Mſ. in Biblioth. P. Magliabechiana, ſic de Coſmo Magno Duce legitur. *Or chi dirà delle Erbe, & de i Semplici ne have Egli una grandiſſima cognizione, e ne ha i Giardini pieni, facendone Egli tenere una particolar cura, con grandiſſima ſua dilettazione in farli piantare, governare, & eſperimentare, avendo appreſſo di ſe Huomini eccellentiſſimi di queſta Profeſſione, e tra gli altri uno di Cividal ſuddito della Serenità Voſtra, che in ragionare di queſte coſe me l' ha molto lodato, dicendo che per la grande Scientia ſua lo voleva mandare nelle Indie, per riportare de i Semplici da quelle parti, per farne prova ſè ſono dell' iſteſſa virtù, e ſe ve ne ſono altre ſorti di maggiori che non ſono nelle noſtre bande, & in quelle di Levante.*

(25) F. Agoſtino del Riccio Trattato delle Pietre Mſ. Cap. 101. de Diaſpri, inter caetera ait: *Diaſpri di Barga ſon di color roſſo buio, così vi ſi vede vene roſſe acceſe con pezzi di Calcedonii bianchi, che gli danno gran bellezza. Si trovano pezzi grandi, come quelli che faceva condurre il Granduca Franceſco in Firenze: pigliano gran luſtro, e ſono ſodiſſimi. Detti Diaſpri gli trovò Maeſtro Franceſco Mazzeranghi da Barga Sempliciſta del Granduca Franceſco.*

Terrae partibus ſtirpes vel florum elegantia, vel fructuum ſuavitate, vel medicis facultatibus praeſtantiſſimas obtineret. Immenſis propterea, & undique conquiſitis Naturae muneribus non tantum elegantiſſima Viridaria ſua mirifice illuſtravit, ſed Floram, & Pomonam Etruſcam ſplendida acceſſione primus locupletavit (26). Hortum quidem Medicum habuit cultiſſimum a latere ſeptemtrionali Regii Palatii, ſeu verius Muſaei (27) quod ad D. Marci eſt, cuius curam *Dominico Boſchio* Hortulano expertiſſimo commiſit: nec diu poſt Hortum hunc, aliumque e latere eiusdem Palatii Meridionali, rarioribus Plantis ornandum commendavit *Ioſepho Caſabonae* Belgae Botanico eximio. Non tamen propterea Hortum Medicum cuius Hiſtoriam atteximus derelictui habuit, & ſordere paſſus eſt; quinimmo annuam Dotem ei dixit ex Aerario Aedilium Florentinorum (28); *Caſabonam* ſuperius laudatum ipſi praefecit (29), & priſtino ſplendori reſtituere eum meditabatur, niſi haec & alia tanti Principis incoepta, mors invida abrupiſſet.

Fra-

(26) Idem Trattato d'Agricoltura Mſ. T. 2. 359. *Meſſer Giuſeppe Benincaſa Fiammingo, il quale ſi pote dir con verità che è ſtato il Padre delle belle & utili Piante, sì di be' Fiori come di Piante di Semplici, che egli ha fatti venire, e gli ha condotti per tutte le parti del Mondo dove ha potuto arrivare con gran favore del Granduca Franceſco di felice memoria, il quale ſi dilettava de' Giardini e de' Sempliciſti, come bene ſi può vedere in tutti i ſua Orti e Giardini Ducali, che ne ſono ripieni.* Et T. 3. pag. 40. *Gelſomini pellegrini* (Ialapa) *che vennono in Firenze al tempo che era vivo il Granduca Franceſco; poſciachè ognun faceva a gara a portarli Piante rare di Fiori e Frutti, ſapendo che gli facevano coſa grata. Indi è che tante Piante gli furono donate; altresì Egli molte ne faceva venire d'altre Provincie, a tal chè ne abbiamo oggidì tutti noi partecipati, e ripieni i noſtri Giardini di Firenze e di Campagna.* Et T. 1. 123. *Le prime Piante d'Aranci della China che veniſſero in Firenze, furono preſentate al Granduca Franceſco, il quale ſi vedeva eſſere molto diligente in far condurre aſſai Piante nella Città.* Tandem T. 2. 237. *Caſtagna Cavallina: è poco tempo che è ſtata portata la ſua Pianta in Toſcana. La prima Pianta fu preſentata al Granduca Franceſco, & egli la mandò alla ſua ſontuoſa & ſpaßoſa Villa di Pratolino — Queſta Pianta venne da Pera, & ha fatto frutto — Puoi vederne una che ſta nel Giardino delle Stalle Ducale appo la fineſtra inginocchiata, dove il Granduca Ferdinando ſta per ſuo diporto a veder gioſtrare, e maneggiare i ſuoi bei Cavalli.*

(27) Raff. Borghini nel Ripoſo pag. 479.

(28) Reſcritto di S. A. S. de' 7. Settembre 1587. *Che la ſpeſa del mantenimento del Giardino de' Semplici ſi aſpetti all'Ufizio della Parte.*

(29) F. Agoſt. del Riccio Tratt. d'Agricoltura Mſ. T. 1. pag. 74. ait. *Il Sig. Niccolò Gaddi favorì meßer Giuſeppe Benincaſa Fiammingo appo il Granduca Franceſco, & egli li fece avere il Giardino che è al Caſino: non guari molto che egli ebbe il Giardino che è ſulla Piazza di San Marco. Così lo poſe & lo cuſtodì molto bene.*

Fraternos auſus promovit *Ferdinandus I.* Magnus Dux elegantiarum quarumcumque Fautor Eximius, & *Caſabonae* Opera Horti ſui cultum famamque mirifice amplificavit.

Quoniam vero Optimum *Caſabonam* memoravi, cuius obſcura fit mentio apud Scriptores Hiſtoriae Botanicae, facturum me operae pretium eſſe putavi, ſi in medium afferrem quaecumque reperire hactenus contigit ad eius vitam Doctrinamque ſpectantia, ut appareat quantopere Eximio huic Viro debeat non Hortus hic tantum, ſed & Res Herbaria univerſa.

Ioſeph igitur *Caſabona*, vulgo *Benincaſa* (30), natione Belga, cui nam Rei Herbariae notitiam debeat, & qua nam de cauſa Florentiam appulerit non liquet. Illud ſolummodo compertum eſt, uſum primo eum fuiſſe familiaritate & hoſpitio *Nicolai Gaddii* (31) Patricii Florentini D. Iacobi Equitis, qui Generis Nobilitati intimam pulcherrimarum Diſciplinarum cognitionem coniunxerat, quique praecipua elegantiſſimae Domus ſuae ornamenta eſſe voluerat inſtrumenta ad adipiſcendam ſapientiam (32). Propterea domeſticum Hortum rariſſimis & elegantiſſimis Plantis ornare aggreſſus (33), nullis

(30) Sic eum ubique vocat Auguſt. del Riccio ſaepius laudatus; at Caſabonam Hieronymus Summarius in Schedis, & Catalogi Familiarium Franciſci, & Ferdinandi Magnorum Ducum.

(31) F. Agoſtino del Riccio Trat. d'Agric. Mſ. T. I. 74. *Non è da tacere che il detto Sig. Cav. Niccolò Gaddi fu un Uomo diligentiſſimo, & amatore de' Virtuoſi; poſciachè egli fu quaſi il primo che deſſi principio a' Sempliciſti; poichè teneva appo ſe il Virtuoſo Meſſer Giuſeppe Benincaſa Fiammingo, che aveva cura di tutte le Piante nobili, e de' Semplici.*

(32) V. Iac. Gaddi Elog. XXIX. & Corol. Poet. 54. Baldinucci Vita di Dom. Paſſignano pag. 141. Negri Iſt. degli Scrittori Fior. pag. 425. F. Agoſt. del Riccio Iſtoria delle Pietre Mſ. cap. 11. *Di queſta Pietra* (Occhiato d' Antiochia) *particolarmente ne hò veduta nel belliſſimo Tavolino, che ha laſciato il Sig. Cav. Niccolò Gaddi nella ſua belliſſima Galleria a perpetua memoria, con altre nobiliſſime Anticaglie di ſingulare pregio, le quali egli laſciò che in perpetuo da i ſuoi Heredi nella ſua Caſa ſe ne faceſſe corteſe moſtra a coloro che vedere le voleſſino, e maſſime a i Foreſtieri.* Fuſius de Muſaeo hoc agit cap. 123.

(33) Idem Tratt. d'Agric. Mſ. T. I. pag. 168. ait. —*Giardino del Sig. Cav. Niccolò Gaddi, che è appo Santa Maria Novella — Quivi ſi veggono Frutti maturi buoni; che danno le Frutte abbondantemente alla Caſa — vi ſono Piante nobili, come il Ciriegio a Grappoli, il Pezzo, il Lauro Regio, la Mortella Spagnuola, l'Uva Spina; doppo la Framula, lo Scotano, il frutto che fa le lacrime, l' Albero di Giuda, & altri frutti ſemplici che vi ſono aſſai, poſciachè di quel Giardino ſieno uſcite quaſi tutte le Piante che ſono adeſſo negli altri Giardini & Orti.* Et Alibi fuſius V. Gaddi Elog. XXIX.

lis pepercit ſumptibus, ut e diſſitis quibuſque Regionibus, & vel ipſa Aegypto, novas Stirpes flore fructuve commendabiles nanciſceretur, & eas inuſitato molimine ab Aëris inclementia defendit, ſummoque ſtudio propagavit, non oblectationis ſuae tantum gratia, ſed ut cum Amicis communicaret, & Etruſcos Agros locupletaret. Nil mirum igitur videri debet, ſi *Gaddius Caſabonam* Plantarum notitia inſtructiſſimum facile in clientelam ſuſceperit, eique Horti ſui quem tantopere adamabat curam commiſerit. Egregie functus eſt hoc munere *Caſabona*, nulliſque pepercit laboribus, ut Hortum illum novis plantis ornaret, utque *Gaddii* votis, & erga ſe beneficiis reſponderet. Iam vero *Gaddius*, ea qua erat animi magnitudine, in Hoſpite ſuo comparatum ad Rem Herbariam amplificandam ingenium admiratus, & tantam ſaluberrimae huius Scientiae peritiam bono publico impendendam ratus, *Caſabonam Franciſco* Magno Duci commendavit, quo beneficio alios quoque Eximios Sapientia vel Arte Viros cumulare conſueverat (34). *Gaddii* precibus annuit *Franciſcus*, & *Caſabonam* Hortis quibus Regiae ad D. Marci Aedes inſtructae erant, deinde Horto etiam huic de quo agimus praefecit, uti ſuperius diximus.

Memoratu dignum eſt A. MDLXXXVI. *Aloen folio in oblongum aculeum abeunte*, recens ex America advectam, primum in Horto noſtro ingentem caulem floribus onuſtum protuliſſe (35), inque ſui admirationem omnium oculos traxiſſe.

Fer-

(34) F. Agoſt. del Riccio Tratt. d'Agric. Mſ. T. I. 46. de Gaddio inter cetera ait —*Era amato ancora dagli Oltramontani ingegnoſi, perche era lor ſoſtegno in far loro molte corteſie; & come egli haveva viſto che erono virtuoſi, gli dava avviamenti buoni, mettendogli ai Lavori di Sua Altezza, a ognun ſecondo l'Arte ſua; ſicchè il ſuo nome ſi ſpargeva per il Mondo — era il ſoſtegno e ſalvezza de' poveri Artefici, che ben ſoventemente l'hanno pianto; poſciachè egli colle ſue Entrate manteneva tanti Virtuoſi Artieri &c.*

(35) Ioach. Camerarius in Horto Medico & Philoſophico pag. 10.

Ferdinandus I. Rerum potitus *Caſabonam* Botanici ſui titulo decoravit, amploque ſtipendio fovit (36); nec diu poſt Hortum Medicum Florentinum priſtino ſplendori reſtituere, ac in uſus publicos ornare volens, provinciam hanc nulli melius ſe demandare poſſe ratus eſt, quam *Nicolao Gaddio*, ſumptus omnes, & annuam Dotem ex Aerario Aedilium Florentinorum largitus (37).

Gaddius itaque expertiſſimi *Caſabonae* opera uſus, brevi temporis ſpatio, & Magno Duce probante, Hortum hunc nemini per ea tempora ſecundum reddidit, ſive Plantarum numerum, ſive diſpoſitionem ſpectares (38). Solum enim univerſum repurgari, ac probe ſubigi iuſſit, & Areas octo in quas diſtributum eſt, a prioribus octo Alphabeti Litteris diſtinxit, in pulvillos variae figurae diſpeſcuit, ſtellatos nempe, cordatos, rhomboidales &c. lateribus circumſcriptos, & peculia-

(36) Ruoli de i Salariati del Granduca Ferdinando I. Sub A. 1588. legitur. *A Giuſeppe Caſabuona Sempliciſta Scudi* 10. *il Meſe.* A. vero 1589. *Scudi* 8. *il Meſe.*

(37) Reſcritto di S. A. S. de' 4. Febbr. 1587. ab Inc. *che la ſpeſa del mantenimento del Giardino ſi aſpetti all' Ufizio della Parte.*

(38) F. Agoſt. del Riccio Tratt. d' Agric. Mſ. T. 1. pag. 74. *Venendo la morte del detto Granduca Franceſco, il ſuo Succeſſore Ferdinando ſuo Fratello volſe ampliare il detto Giardino de' Semplici per utilità e bellezza: Così impoſe al Sig. Cav. Niccolò Gaddi detta Opera laudevole, & egli con preſtezza fece diverre il detto Giardino delle Stalle più volte nominato; altresì fece fare i bei ſcompartimenti in terra di mezzane campigiane con belliſſimo ordine, poichè ſon' otto Quadri che egli diviſe in otto Lettere del noſtro Alfabeto, cioè A. B. C. D. E. F. G. H. & così in ogni Lettera, verbi grazia A, che era il primo Quadro, faceva fare i numeri, incominciando da uno, infino a quanti numeri erano i Quadri piccoli ſcompartiti; così faceva fare al quadro B. che faceva ſegnare i numeri tutti dalli Scarpellini ſopra le Mezzane Campigiane, e cominciando da uno andava infino a ottocento e più, ſe più Orticini vi fuſſero in quel Quadro del B. così faceva fare a tutti i detti otto Quadri. E poi avevano creato un Libretto che era diſtinto come il Giardino, in otto Lettere A B. &c. & in numeri ogni Quadro, e così v' era ſcritto sù detto Libretto tutte le Piante Pellegrine, e noſtrali, e queſto il feciono acciò non fuſſe tolto loro le Piante; altresì per conto dell' ordine, per poter nominare il numero infinito de' Semplici che ci conduſſe meſſer Giuſeppe Benincaſa Fiammingo dal Regno di Candia, dove ſtette aſſai tempo, & così d' altre parti del Mondo conduſſe ſemplici e Fiori & Erbe di pregio, virtù, e bellezza* T. autem 2. pag. 298. ſubiungit. *Queſta ti ſia per regola ferma ſtabile e buona, quando vuoi avere buoni Erbaggi, divegli i tuoi Campi affondo due braccia, come ſi fa quando tu poni le Vigne; così per parecchi anni avrai Pomi, & Frutti &c. & altresì tutti gli Erbaggi Semplici, e Piante di Fiori verranno di ſomma bellezza & grandezza, come s' è veduto nel belliſſimo Giardino & inſieme Sempliciſta, che fece divegliere il non mai abbaſtanza lodato Sig. Cav. Niccolò Gaddi per ordine del Granduca Ferdinando; poichè ho viſto tutte le Piante o poſte, o ſeminate, con preſtezza venir grandi.*

culiari numero ſcalpri ope notatos. Pulvillorum ſane variantes Daedaleas formas repraeſentat Tabula Horti Ichnographica A. MDCCXVIII. confecta iuſſu Societatis Botanicae: eorum item ſpecimen habes apud Cl. *Tillium* in Tabula Ichnographica Horti Piſani ab ipſomet *Caſabona* digeſti. Singula memorata ſpatia peculiaribus Plantarum claſſibus, Acanacearum puta, Ferulacearum, Bulboſarum &c. addixit *Caſabona*, eo ni fallor ordine, quem in Piſano quoque Horto deinceps diſtribuendo ſervavit. Suis ſedibus collocavit *Ghinianas*, & *Leonianas* Plantas quae ſupererant; earum autem quae perierant iacturam compenſaturus, diverſa per feraciores Etruriae Provincias Itinera ſuſcepit, inter quae memoratu dignum illud eſt A. MDLXXXIX. cum *Ioachimo Iungermannio* per Tyrrheni Maris Littora inſtitutum (39). Semina in Horto, excurſionibuſque collecta, in eleganti Spermatophylacio (40) magna cura aſſervabat, ut cum Amicis communicare, & Exoticarum Plantarum Seminibus permutare poſſet. In ſumma totis viribus annitebatur, ut conceptae a Magno Duce de ſe ſpei reſponderet, & *Gaddii* Evergetae ſui praeconiis par eſſet.

Inſtauratus Florentinus Hortus, & Italicis, vulgatiſque illatenus Plantis ſatis inſtructus, non explevit immenſam in *Ferdinando* cupiditatem amplificandi Rem Herbariam; quin potius extimulavit, ut novarum, & Exoticarum larga acceſſione Hortum ipſum locupletaret. Eapropter *Caſabonam*, cuius peritiam & ſedulitatem ſaepius probaverat, Regiis ſumptibus in Cretam Inſulam miſit, ut Plantas elegantiſſimas, & Europae uſque dum ignotas perquireret, ac Florentiam defer-

(39) Car. Cluſius Rariorum Plantarum Hiſtoria pag. 204.

(40) F. Agoſt. del Riccio Tratt. d'Agric. T. 2. 368. *Si poſſono ancora conſervare i Semi in uno ſtudiuolo fatto di legname, come aveva fatto meſſer Giuſeppe Benincaſa Fiammingo, che era alto ſei braccia, e largo altrettanto, pieno di Caſſette piccole, & ogni Caſſetta aveva le Deſcrizioni e i numeri, & i milleſimi che quei Fiori erono ſtati colti, per poter vedere ſe erono vecchi &c.*

ferret (41). Nobile hoc propoſitum Magnitudinem Animi tanti Principis abunde exprimit, ea praecipue de cauſa, quod primus omnium talia auſus ſit, nullius exemplum ſequutus; ſed potius exemplo ſuo excitaverit Moderatores Patavini Lycaei, ut A. MDCXL. *Ignatium ab Agris* in eamdem Inſulam mitterent, Plantarum colligendarum, & in Hortum Patavinum inferendarum gratia; Magnos deinde Reges, ſummoſque Viros, ut certatim Europaeos Hortos Stirpibus Novi Orbis ditarent. Caeterum Creticas prae reliquis optimo conſilio delegit *Ferdinandus*, cum quia elegantiſſimas quasdam ex ea Inſula acceperat olim a Fratre ſuo *Lucas Ghinus* (42); tum quia Creticae Plantae ob raritatem, virtutemque ſingularem, in tanta ſemper aeſtimatione Gentium fuere, ut etiamnum *Galeni* aevo Imperatores Romani Herbarios ſuos in Creta aluerint, qui ſingulis annis ad nobilium Antidotorum compoſitionem Stirpes Urbi neceſſarias ſubminiſtrarent (43), perſuaſionemque apud eosdem proceſſiſſe fateatur *Plinius*, quicquid in Creta *Iovis* Patria naſcitur, infinito praeſtare ceteris alibi genitis.

Memorabile Creticum hoc Iter a *Caſabona* perfectum eſt A. MDLXXXX., & inſequenti; nam die III. Novembris A. MDLXXXX. e Candia illius Urbe principe ad *Carolum Cluſium* litteras dedit (44), & A. MDLXXXXII. ſemina quaedam cum eodem *Cluſio* communicavit recens a ſe collecta in Creta Inſula (45). Plurium itaque menſium ſpatio univerſam ferme illam feraciſſimam Inſulam peragrare valuit *Caſabona*, a Muneficentiſſimo Principe praeſidiis & commodis omnibus inſtructus, ac *Hieronymi Cappelli* Senatoris Veneti, In-

† † ſulae-

(41) Idem Aug. Riccius in Agricultura ſua Mſ. variis locis. Car. Cluſius Rar. Plant. Hiſt. 265. & Proſper Alpinus de Plantis Exoticis in Epiſtola ad Lectorem.

(42) Barthol. Maranta in Methodo cognoſcendorum Simplicium pag. 87.

(43) Galenus Lib. 1. de Antid.

(44) Car. Cluſius in Rariorum Plant. Hiſt. pag. 265.

(45) Idem ibid. XXV.

ſulaeque Proviſoris Generalis Patrocinio commendatus (46). Diſcrimina vero, & incommoda longae, difficiliſque peregrinationis alacriter ſuperavit Iuventutis robore, & vehementiſſima qua flagrabat Plantarum obſervandarum cupiditate. Uberem propterea, laetumque laboris fructum tulit innumeras pulcherrimas ignotaſque antea Stirpes, quas redux Florentiam advexit, quaſque omnes in Horto Florentino ſatas fuiſſe, certiſſimus teſtis eſt *Auguſtinus Riccius* (47), non in Piſano, quemadmodum perperam aſſerunt *Alpinus* (48), & *Vigna* (49). Non exiguum proinde decus Horto noſtro accedit, quod ex ipſo, tamquam e penu ditiſſimo, prodierint omnes fere Creticae Plantae, quas *Caſabona* cum Amicis Botanicis communicavit, quaſque ipſi in editis Libris Orbi Erudito propoſuere.

Quum iam *Caſabona* Horti nitori ſatis proſpexiſſet, utilitati quoque Studioſorum conſulere voluit: propterea Catalogum Plantarum omnium ibidem cultarum confecit in octo partes diviſum, quarum ſingulas ab octo prioribus Alphabeti Litteris denominavit, ſingulis Horti Spatiis ſeu Areis reſpondentes (50). Dolendum maximopere eſt periiſſe, vel in Bibliotaphio aliquo latere Catalogum hunc, quem *Auguſtinus Riccius* vidiſſe, plurieſque manibus uſurpaſſe ſe adfirmat. Utinam vero *Caſabona Stephani Roſſelli*, & *Auguſtini Ric-*

(46) Proſper Alpinus in Praef. ad Libros ſuos de Plantis Exoticis.

(47) Trattato d'Agricoltura Mſ. T. 1. 74. & alibi paſſim.

(48) Loco ſuperius laudato.

(49) Praef. in Animadverſiones ſuas in Theophraſtum.

(50) V. adnotata ſuperius n. 38. Idem Aug. Riccius Agriculturae ſuae T. 3. pag. 14. ait: *Chi fuſſe deſideroſo d'aver molti più fiori che io non ho nominato, vadia al belliſſimo Giardino delle Stalle Ducale in Firenze, altresì al Giardino della Città di Piſa, quali Giardini furno ordinati dal non mai abbaſtanza lodato meſſer Giuſeppe Benincaſa Fiammingo, poſti e cuſtoditi fino alla ſua morte, e conſideri i fiori che in quelli vi ſono, e per ſaperne i nomi loro ſi faccia moſtrare il Libro detto il Repertorio, che chiama ciaſcuna Pianta per ordine; poichè il Giardino tante volte nominato delle Stalle è diviſo in otto Quadri — Et io ho più fiate avuto il detto Repertorio nelle mie mani con mia comodità.* Et T. 2. 371. *ma chi vuol vedere, ſi faccia preſtare al Giardiniere delle Stalle Ducale le Liſte, o Libretto di Meſſer Giuſeppe Beneincaſa, o dal Figliuolo ſuo che ſta al belliſſimo Sempliciſta di Piſa, e potrà vedere quante ſiano quelle Piante che non è molto che ſono ſtate condotte nella Città di Firenze.*

Riccii (51) conſiliis uſus, Hodoeporicon ſuum Creticum litteris conſignaſſet, & typis edidiſſet! Quanta exinde Naturali Hiſtoriae acceſſio facta fuiſſet! Saltem Auctori ſuo inventorum gloria integra remanſiſſet, nec Botanici quidam, Cornicis Aeſopicae in morem, alienis pennis ſuperbirent. Ego quidem veritatis, & illuſtrandae Hiſtoriae Litterariae ſtudio, conatus ſum undecumque decerpere Catalogum Plantarum fere omnium ab ipſo inventarum, ac in Florentino primum, deinde in Piſano Horto cultarum, quem fortaſſe aliquando in lucem proferam. Inde profecto patebit eas fere omnes Creticas Plantas, quae a Scriptoribus Rei Herbariae Saeculi XV. exeuntis, & XVI. incipientis exhibentur, *Caſabonae* laboribus, & *Ferdinandi I.* Magni Ducis munificentiae deberi, ſi aliquas excipias ab *Honorio Bello* Vicentino in Creta Medicinam faciente paulo pridem repertas, ſed plerumque easdem cum Caſabonianis.

Duobus circiter annis poſt *Caſabonae* e Cretica Peregrinatione reditum, Magnus Dux Horti Piſani ſedem cum elegantiori, ac commodiori, in qua ad noſtra uſque tempora conſpicitur, permutare decrevit, eique operi praeeſſe voluit *Caſabonam* (52), qui brevi temporis ſpatio, ſummaque diligentia Hortum novum Piſanum ea methodo diſpoſuit, qua adhuc dum viget, a Celeb.

 Michaële

(51) Idem Riccius T. 2. pag. 378. Poſtquam de Anemone, ſeu Ranunculo flore pleno rubro verba fecit, addit. *Ma non dirò di che Provincia ſi ſia; poichè quel virtuoſo Sempliciſta che lo portò alla noſtra Città, che fu Meſſer Giuſeppe Beneincaſa, del quale ſi è fatta menzione ſpeſſo e meritamente, non volſe ſcriver l' Inventario, che ſarebbe ſtato tanto utile a tutti gli amatori delle Piante nobili e belle. Imperocchè fu molte volte pregato da me, e da Meſſer Stefano Roſſelli Fiorentino, & egli forſe penſava di farlo; ma la malvagia Parca gli tagliò il filo, & così ſiamo reſtati privi di molti nomi di Piante rare, sì noſtrali, come pellegrine.*

(52) Idem T. 1. pag. 75. *Qui potrei dire che il detto Meſſer Giuſeppe Benincaſa fu mandato dal Granduca Ferdinando alla Città di Piſa, a creare un bello e vago Giardino tutto di Semplici, e Piante di gran Virtù, & egli il fece con gran preſtezza, come ſi vede che oggi è.* Et pag. 77. *E' tempo omai, che noi torniamo a ragionare di Meſſer Giuſeppe, il quale dicevamo che aveva poſto il Sempliciſta delle Stalle, e doppo queſto fu mandato a porre il gran Sempliciſta alla Città di Piſa, il quale fu ſcompartito e poſto con grand' ordine e diligenza, e in mentre andava in mano cercando di provvedere nuove Piante, e Semplici rari, li fu impedito il ſuo bel penſiero dalla morte, che correndo a noi Fiorentini l' anno 1595. ce lo tolſe.*

Michaële Ang. Tillio deſcriptus, & Horti Florentini Plantas nobiliores, Creticas praeſertim, in ipſo propagavit. Scientia propterea, & ſedulitate ſua promeritus eſt *Caſabona*, ut a Magno Duce Cuſtos Horti ipſius renunciaretur; quo tamen munere, in Piſana Academia tunc primum inſtituto, non niſi ab A. MDLXXXXIII. ad MDLXXXXV. fungi potuit. Vehementi ſiquidem perquirendarum Plantarum amore incenſus, ac corporis robore & aetatis vigore nimium abuſus, nova itinera ſuſcepit, inter quae memorabile unum eſt, quo ex Agro Tyburtino *Styracis* Arborem Piſas detulit (53): aſſiduis propterea exanthlatis laboribus, morbi vehementiſſimi labe ſuſcepta, Morti ſuccumbere coactus fuit A. MDLXXXXV. Aerae Florentinae. Eius mors calamitoſa admodum fuit Rei Herbariae Studioſis; tum quod aditum ei obſtruxit ad nova praeclara inventa; tum praecipue quod frugiferam aliquam eius Commentationem nobis invidit. Credere ſiquidem fas eſt *Caſabonam*, ſi ſenectutem adeptus eſſet, quum ob virium infirmitatem non ultra ipſi licuiſſet edita Montium iuga conſcendere, & labores Botanicarum Peregrinationum comites tolerare, animum ad ſcribendum applicaturum fuiſſe. Quod autem ſecum decreviſſet aliquid in poſterum commentari, coniicere licet ex eo, quod, teſte *Auguſtino Riccio*, Piſas accerſiverit *Danielem* quemdam Popularem ſuum Pictorem egregium, illique iuſſerit, ut Plantas Horti Piſani integras, & flore fructuque onuſtas, in Charta maxima nativis coloribus repraeſentaret (54).

Mo-

(53) Dom. Vigna in Animadverſ. in Theophraſtum pag. 105.

(54) Trattato d'Agric. Mſ. T. 1. 75. *Meſſer Giuſeppe Benincaſa per voler dare la maggior ſatisfazione all' onorato Studio Piſano, chiamò un ſuo compatriotto Fiammingo Meſſer Daniello mio cariſſimo, e gli dette ordine che dipigneſſi, anzi miniaſſi tutti i Semplici, e Piante rare del Giardino in fogli Imperiali, ma le dipigneſſi quando erano fiorite, e colle foglie e Cipolle loro, acciocchè ſi cognoſceſſino da tutti quelli che erano in Piſa, e da altri per i tempi avvenire: Opera che, ſe ſi finiſſe, ſarebbe nominata, e meritamente per tutto il Mondo.* Num Daniel iſte *Floſche* cognomine fuit? quo uſus eſt Riccius in Marmorum figuris repraeſentandis, quemadmodum fatetur ipſe in Iſtoria delle Pietre Mſ. cap. 128.

Mores *Caſabonae* quod ſpectat, nil aliud compertum habeo, niſi quod nonnihil difficilis, & nimium parcus fuit in ſcientia propaganda. Eapropter paucos in Re Herbaria Alumnos reliquit Florentiae, per quos tamen *Auguſtinus Riccius* plurimum ſe profeciſſe fatetur (55). Perpetua atque conſtanti Principis Gratia floruit, ab Eruditis Etruſcis laudem, & favorem promeritus eſt; extra Etruriam vero nominis ſui famam propagavit, & Amicos, admiratoreſque ſibi paravit Botanicos quoſque praeſtantiſſimos, quibuſcum litterarium commercium coluit, & ſemina Plantarum a ſe repertarum communicavit (56). Veroſimile eſt *Caſabonam* Medicinae Doctorem renunciatum fuiſſe: *Vigna* ſiquidem (57), & *Riccius* in eo nominando, honorificum *Excellentiſſimi*, aliumque vernaculum titulum, quo Doctores indicabantur, uſurpant. Saltem *Alpinus* (58) illum fuiſſe aſſerit in ſimplicium Medicamentorum ſtudio maxime verſatum, & *Georgius Hieronymus Velſchius* (59) Quartanam *Oſtruthio* a *Caſabona* curatam refert.

Eius opera quod ſpectat, praeter *Catalogum Plantarum Horti Florentini*, & *Icones Plantarum Horti Piſani* a *Daniele* Belga expreſſas, *Riccius* ſubinnuere videtur *Catalogum* quoque *Plantarum Horti Piſani* a *Caſabona* conſcriptum fuiſſe (60), qui fortaſſe ille idem eſt, quem *Hieronymus Summarius* in Bibliotheca ſua aſſervabat A. MDCXXIII., ſimul cum faſciculo *Epiſtolarum* eiuſdemmet *Caſabonae* (61); nullum tamen opus, quod ſciam,

(55) Idem Agric. T. 2. 378. de Caſabona ait. *E' ben vero, che io ho preſo molti nomi da lui, e da' ſuoi Diſcepoli, ancora che fuſſi alquanto tenace in comunicarli, che più preſto lo rendeva poco grato agli Uomini virtuoſi: ma ſe per ſorte egli fuße ſtato della mia natura, amorevole in paleſare i ſuoi ſegreti cogl' altri a vicenda, ſarebbe ſtato più utile all'univerſale, & avrebbe fatto più Diſcepoli che non ha fatto.*

(56) Sunt hi Carolus Cluſius, Ioachimus Camerarius, Caſpar, & Iohannes Bauhini.

(57) Animadv. in Theophr. pag. 105.

(58) Praef. ad Libros ſuos de Plantis Exoticis.

(59) Exotericarum Curationum & Obſervationum chiliad. 1. 664.

(60) V. Adnotata ſuperius n. 50.

(61) Hieronymus a Summaria Patric. Flor. & Piſani Athenaei Moderator vigilantiſſimus in Catalogo quodam Codicum Mſ. Bibliothecae ſuae, qui Mſ. adſervatur in Bibliotheca Magliabechiana, inter ceteros Codices recenſet: *Libro del Semplciſta Caſabona del 1595. coperto di Cartapecora. Lettere del Caſaboni in un mazzo. Quaderno del quadro de' Veneni in bianco.*

ſciam, typis editum proſtat. Effigies tanti Viri conſpicitur Piſis in veſtibulo Horti Academici.

Liceat modo ab oblivione hominum, atque a ſilentio vindicare merita Optimi Viri, & praecipui *Caſabonae* Amici, cui Agricultura Etruſca, Hortuſque noſter plurimum debent. *Auguſtinus* is eſt e Florentina Patricia *Ricciorum*, vulgo *del Riccio*, Familia, qui Dominicanorum coetui ſeſe addixit, & ſuaviſſimis moribus multiplicem Doctrinam coniunxit. Potiſſimum autem ſeſe devovit Agriculturae Studio, in quod per triginta circiter Annos toto animo incubuit, latifundiis Coenobii ſui D. Mariae Novellae praefectus. Iamvero praecepta theoretica, quae diuturna obſervatione collegerat, & crebra experientia comprobaverat, in publicam utilitatem proferenda ratus, vaſtum Opus Geoponicum conſcribere orſus eſt A. MDLXXXXV.; ſed ad umbilicum perducere non valuit, & in adverſariis reliquit, nam Aetatis A. LVII. e vivis ſublatus eſt A. MDLXXXVIII. die XVIII. Decembris. In Monito ad Lectorem ait ſe Opus illud in quatuor partes ſecare propoſuiſſe, quarum prima *Agriculturam Practicam*, altera *Theoricam*, tertia *Florilegium*, quarta *Pomarium*, complecteretur. Prima, *Agricultura* nempe *Experimentalis*, ſeu Pratica, ad dimidium fere uſque perducta, exhibet Alphabeti ſerie digeſta Praecepta Geoponica univerſalia, hiſtoriam & rationem culturae plurimarum Plantarum, ac deſcriptionem inſtrumentorum, quibus Agrorum & Hortorum cultura nitorque procurari poſſit. Theoremata ſane continet ſecunda, praxes, & cautiones Etruſci Soli Coelique genio accomodatas; verum ſcriptionis genus adeo prolixum, adeo incomptum eſt, ut Lectoribus faſtidium ſubinde creare poſſit. Accedit quod *Riccius* tam crebro dicendorum ſeriem parergis plerumque incongruis abrumpit, & leviſſima qualibet occaſione abrepta narrationes praelon-

gas

gas interſerit, quibus plurima ſane ſcitu digna, nec adnotata uſpiam alibi poſterorum memoriae conſignavit; ſed de illis merito dici poteſt: non erat hic locus. Ego tamen parergis *Riccianis* plurimum me debere profiteor Hiſtoriae huius Horti Florentini cauſa, tum quod e *Riccio* tantummodo hauſerim ea fere omnia, quae de Magnorum Ducum munificentia, de *Gaddii* vigilantia, & de *Caſabonae* doctrina & laboribus superius retuli; tum etiam quod luculenter didici, maximos, & fere incredibiles progreſſus feciſſe per ea tempora in Etruria noſtra Rem Geoponicam, & Hortenſem, quod peculiari Diſſertationi olim fortaſſe uſui erit. Altera pars operis *Ricciani*, ſeu *Agricultura Theorica*, eſt Catalogus & ratio Operum Ruſticorum & Hortenſium, per Anni Temporum, & Menſium ſeriem digeſtus, praeceptis & cautionibus optimis reſperſus. Harum duarum partium Antigraphum coaevum, a Cl. *Michelio* olim comparatum, modo Bibliothecam meam ornat, ſimile Antigraphi alterius, quod in Bibliotheca Regii Noſocomii D. Mariae Novae adſervatur. Utinam vero duas reliquas partes educere licuiſſet e tenebris Bibliotaphii cuiusdam, in quo, ut fama fert, deliteſcunt! Tertia quidem volumen erat in charta maxima, in qua *Riccius* a *Vincentio Dorio* (62) pingi curaverat nativis coloribus Plantas omnes floris venuſtate commendabiles, quae Magnorum Ducum Munificentia, & Optimatum Florentinorum ſedulitate ex diverſis Orbis parti-

(62) Riccius ipſe Tratt. d'Agric. T. 2. 382. *Qui potrei avvertire gli Amatori di bei & leggiadri fiori, che ſe vogliono queſti Enemoni deſcritti da me, ſi degnino vedere il Libro che ho fatto dipignere di tutti i Fiori d'Italia, e quivi vedrà tutti gli Enemoni coloriti bene con i p opri colori —— & queſto Libro l'ha dipinto Meſſer Vincenzio Dori Fiorentino con grand' amore, e ſtudio, e la ſpeſa l'ha fatta il magnifico Sig. Girolamo Sommai, & il Libro è ſuo, e l'ha fatto per compiacermi*. Et T. 3. pag. 9. *Nel Libro che ha dipinto Meſſer Vincenzio Dori Fiorentino per l'Illuſtre Sig. Girolamo Sommai, ove ſi ſcorgono tanti belliſſimi Fiori, opera veramente degna d'un tal Signore, col quale tengo amiſtà, e per mia ſatisfazione e contento ha fatto dipignere tal onorato Libro; che in vero è il primo che ſi ſia fatto nella Città di Firenze, ſebbene tuttavolta ſi ſono incominciate a dipignere più Carte da altri; e queſto è fornito come debbe ſtare, che è l'Anno 1596.*

partibus delatae, Hortos Agroſque Etruſcos ornabant A. MDLXXXXVI. Digeſſerat illas *Riccius* iuxta ſeriem menſium quibus ſingulae florere ſolent, adiunxeratque brevem deſcriptionem. Sumptus operi miniſtraverat *Hieronymus Summarius Ioannis* Fil. Patric. Flor. *Riccii* Amicus & Fautor, & apud ipſum adſervabatur Liber iam abſolutus A. MDLXXXVI. Quarta tandem pars complectebatur Icones Fructuum omnium, quibus Pomona Etruſca tunc temporis ſuperbiebat: non tamen compertum habeo an perfecta, & ad umbilicum perducta ab Auctore fuerit.

Florilegii memorati iacturam aliquatenus mihi ſupplevit aliud ſplendidiſſimum *Riccii* Opus, quod modo adſervatur in Bibliotheca DD. *Del Turco-Roſſelliorum* Patricior. Florent. repertum in Hereditate Familiae *Roſſelliae*. Codex eſt Chartaceus Elephantinus paginis conſtans VICC., in quibus CCVI. Plantarum Icones nativis coloribus ab eodemmet *Vincentio Dorio* repraeſentatae fuere, nullo tamen ſervato ordine, nulloque nomine adſcripto, ſi CXVIII. priores excipias: *Riccius* idem pluribus locis Agriculturae ſuae ſuperius memoratae (63), aſſerit ſe in hoc ipſo Codice, ſumptibus Amici ſui *Stephani Roſſellii*, repraeſentari ad vivum curaſſe Plan-

(63) Praeſertim T. 1. pag. 76. ait. *Così potrà eſſer meſſa in luce la belliſſima Opera fatta da Meſſer Stefano Roſſelli Uomo molto virtuoſo, e la Città di Firenze gli ha da avere un grand' obbligo, poichè è ſtato la cagione della ſalvezza di molti co' ſuoi Segreti veri che ha fatti nella ſua Bottega, che a volergli nominare ſarei troppo lungo, ma ſolo voglio dir qui un utile e bel ſuo penſiero, che egli ha deſiderio che ſi faccia un' Orto comune, che ſia abbondante di tutte le Piante onorate e utili e che ricercanſi per un Sempliciſta per ſalvezza della Città — Voglio dir quattro parole in onor di Meſſer Vincenzio Dori Pittore Fiorentino, che molto laudevolmente s' è affaticato a dipignere le Piante Medicinali per Meſſer Stefano Roſſelli: ha preſo le Piante del ſoprannominato Giardino delle Stalle quando erano fiorite, con le Barbe e Radici loro, & in ottimi fogli bianchi le ha ritratte co' ſuoi colori proprii — E nell' ultimo del Libro ſi farà un Repertorio a uſo di Stratto, che nominerà tutte le Piante dipinte: Opera non men bella, che utile, e vaga. Similmente non ſarà men bello e utile il Libro che ho fatto dipignere de' Fiori dal detto Meſſer Vincenzio Dori. Egli ha tenuto il medeſimo ordine laudevole che ha fatto poi Meſſer Stefano Roſſelli, poſciachè abbi dipinto tutte le Piante, e i ſuoi Fiori, e Foglie verdeggianti; altresì con le Cipolle, e Barbe — Io non ſolo ho fatto ritrarre una Roſa, ma dieci ſorte di Roſe co' ſuoi colori proprii e naturali, & il detto Libro è quaſi fornito, che ſarà fra quattro Meſi in circa, lo porterò al Padrone che ha fatto ſi laudevole ſpeſa per compiacermi.*

Plantas fere omnes, quae in Horto hoc Medico Caeſareo colebantur, & eas potiſſimum quas *Caſabona* e Cretica Peregrinatione attulerat. Quum A. MDCCXL. pretioſum hunc Codicem bis, at per ſex circiter horas tantum contemplari mihi licuerit, non ſatis admirari potui pulchritudinem & veritatem Imaginum illarum, ſtatimque venit in mentem facturum me operae pretium, ſi nomina Plantarum in ipſo Codice repraeſentatarum ab oblivione revocarem. Adnotavi igitur raptim quaecumque potui, & Catalogum attexui fortaſſe aliquando edendum. Futurum autem fore confido ut Aequi Lectores exinde colligant quantopere dives fuerit Hortus noſter, & quaenam ſint verae *Caſabonianae Creticae Plantae*, quas varii Scriptores ſuppreſſo *Caſabonae* nomine pro ſuis venditarunt; quamvis in hoc *Roſſelliano* Libro non omnes prorſus contineantur, quemadmodum ex alio ſubnexo Catalogo apparebit. Nobiliſſimos tamen Cimelii huius Poſſeſſores etiam atque etiam rogatos velim, ut auſus meos aequi bonique conſulant, praeſertim quum e furto hoc nonniſi decus ipſis accedat. Ceterum reliqua *Auguſtini Riccii* opera ad Rem Herbariam, ad Lithologiam, & ad Mnemonicen pertinentia, quae Manuſcripta apud me, & in variis Florentinis Bibliothecis adſervantur, ſilentio praeteream, illa adnotaſſe contentus, quae ad Horti noſtri Hiſtoriam illuſtrandam opportuna viſa ſunt.

Poſtquam *Caſabona* Piſas ſeſe contulit, incertum eſt quid Horto noſtro contigerit, & quiſnam ipſius curam adſumpſerit. Compertum ſolummodo eſt, Regnante *Coſmo II.* Magno Duce, Horti Medici formam, famamque retinuiſſe (64). Equidem Magnus Dux die XXIV. Iunii A. MDCIX. illius curam commiſit *Benedicto Punctae* (65)

††† Se-

(64) V. Thomae Dempſteri Etruriam Regalem T. 2. pag. 366.

(65) Regiſtro d' Arruolati di Palazzo dei Pitti 1609. *Meſſer Benedetto Ponta in Ruolo per godere i Privilegi, e che abbia la cura del Giardino de' Semplici della Cavallerizia a San Marco, del quale al preſente ha cura Piero Giardiniere, come per Patente, Copia autentica dal Signor Maiordomo Maggiore de' 24. Giugno.* Ex Adnotatis Equitis Ant. Franc Marmii, quae in Biblioth. Pub. Magliabechiana adſervantur.

Senenſi, *Dominici* Filio, Equiti Aurato, Comiti Palatino, *Chriſtianae Lotharingicae* Magnae Duciſſae a Medicina. Mentionem de ipſo inveni tantummodo in Epiſtola quadam *Caſſiani a Puteo* ad *Marcum Aurelium Severinum* (66), & apud *Puccinellium* (67). Ceterum animi dotes, & virtutum praemia quibus inclaruit, luculenter indicat Elogium, quo eius Sepulchrum Florentiae in Templo D. Proculi ornatum eſt (68).

Hortulani munere interea functus eſt *Petrus Maccettius* ab Anno uſque MDCIX. (69), cui circa A. MDCXXV. ſuffectus eſt *Ioannes* filius, *Botanici* poſtmodum titulo decoratus (70). Reticendum non eſt reperiſſe me in Albis familiarium *Coſmi II.* deſcriptum A. MDCIX. *Franciſcum Caſabonam Botanicum*; ſed neſcire an *Ioſephi* Filius fuerit. Certe *Riccius* (71) pag. 704. Agriculturae ſuae diſerte aſſerit, Filium quemdam *Ioſephi Caſabonae* Horto Piſano praefuiſſe iam ab A. MDLXXXXVI., quo *Ioſephus* e vivis exceſſit. Praeterea *Hieronymus Summarius* Piſani Lycaei Moderator, in Catalogo (72) Codicum manu exaratorum Bibliothecae ſuae, recenſet Rationem quamdam impenſi & expenſi a . . . . . *Caſabona* A. MDCVII. Num hi *Caſabonae* unus idemque ſint *Ioſephi* Filius, & num Piſani, num vero Florentini Horti curam habuerint, non liquet; praeſertim quum inter Piſanos Botanicos a *Dominico Vigna* (73) coaevo nullatenus recenſeantur. Veroſimile tamen eſt *Franciſcum* ſuperius memoratum Florentino ſolummodo Horto addictum fuiſſe, quum ſtipendium non ex Aerario peculiari Academiae Piſanae, ſed ex Regio Florentino perciperet.

Inter

(66) Extat apud Severinum in Vipera Pythia pag. 504.

(67) D. Placido Puccinelli, Vita del Principe Ugo pag. 63.

(68) V. Puccinelli, Memorie Sepolcrali pag. 32.

(69) Hieron. a Summaria Piſani Athenaei Moderator in Schedis variis, quae Mſs. adſervantur in Biblioth. Magliab. adnotavit inter cetera: *Piero Maccetti Giardiniere alle Stalle di S. A. in Firenze 1615. e 1618.*

(70) Ruolo de' Salariati del Granduca Ferdinando del 1625. Segnato R. *Giovann di Piero Maccetti Sempliciſta, Scudi 72.*

(71) V. Adnotata ſuperius N. 50.

(72) Adſervato in Biblioth. Magliab. *Libretto di Conti del Caſaboni* 1607.

(73) Praefat. in Animadv. ſuas in Theophraſtum.

Inter rariores elegantioreſque Plantas, quibus Hortus Noſter per ea tempora ſuperbiebat, memorandae ſunt *Calamus Aromaticus Officinarum*; *Thymus capitatus, qui Dioſcoridis*; & *Helleborus niger flore roſeo*, e Creta & Belgio delatae, quae tamquam indubia exempla *Acori*, *Thymi* & *Hellebori nigri Dioſcoridis* proponuntur in *Antidotario Florentino* editionis quartae A. MDCXXIII.

Ab exceſſu *Benedicti Punctae* nullum invenimus Horti Praefectum ad Annum uſque MDCLIV., quo *Angelus Donninius* Flor. Med. D. illius, aliorumque Regiorum Viridariorum curam ſumpſiſſe adparet, & ad Annum uſque MDCLXVIII. ad minus continuaſſe. Anno ſane MDCLIV., *Bocconius* Panormo ipſi tranſmiſit ſemina *Thlaſpeos Leucoii folio latifolii platycarpi Siculi ſemper virentis, & ſemper florentis* (74): Ab A. MDCLVII. ad MDCLXVI. in Albis Familiarium *Ferdinandi II.* Magni Ducis deſcriptus reperitur, titulo *Viridariorum Praefecti Generali* (75). Immortalis *Franciſcus Redius* in Epiſtola ad *Petrum Natium* data d. XXIII. Ianuar. A. MDCLXVII. (76) ſcribit miſiſſe ſe ad *Donninium* plures radices *Solani Tuberoſi eſculenti C. B.* vulgo *Batate*, & *Glandes* aliquot *Quercus latifoliae*, quae Magno Duci ex Mauritania Tingitana miſſae fuerant, ut in Regio Boboleo Viridario, & in Horto Medico de quo agimus ſerendas curaret. Tandem *Angelum Donninium* recenſet inter Fautores ſuos Bocconius, in *Epiſtola ad Studioſos Rei Herbariae*, impreſſa ad calcem *Catalogi* cuiusdam *Seminum Plantarum quae venui expoſuit* A. MDCLXVIII.

Donninii igitur vigilantia, & *Ferdinandi II.* Magni Ducis, ac *Ioannis Caroli* Principis *Medicei* S. R. E. Cardinali Ampliſſimi Munificentia factum eſt, ut Hortus

††† 2 Me-

(74) Paolo Boccone Muſeo di Piante Rare pag. 6.

(75) *Giardinier Generale, Scudi 6. il Meſe.* Ruoli in Segreteria Vecchia, e gli Eſtratti di eſſi nell' Archivio Segreto.

(76) Impreſſa eſt inter Redii Epiſtolas Tom. 5. Operum omnium pag. 44.

Medicus Florentinus rariſſimis, & undique conquiſitis Plantis refertus, ceteris ſimilibus Hortis longe praeſtaret. In eo ſiquidem primitus delatae ſunt ex Indicis oris Plantae plures elegantiſſimae, & ex eo *Donninius* illarum ſemina cum Amicis, *Iacobo Zannonio* praeſertim, *Io. Baptiſta Triumphetto*, *Paulo Bocconio*, & *Ant. Scarellio* (77) primus communicavit. Quasdam e Plantis in Horto noſtro cultis recenſuit ipſemet *Donninius*, in *Catalogo Plantarum Florentinos Hortos ornantium*, quem A. MDCLXII. typis edidit, Appendicis inſtar ad *Thomae Belluccii Catalogum Plantarum Horti Piſani*. Sed ex ſterili Catalogo illo aeſtimari nolim cultum, & ſplendorem Horti Florentini per ea tempora. Si enim advertas plures e Plantis a *Zannonio*, *Triumphetto*, & *Bocconio* relatis, a *Donninio* praetermitti, facile colliges plurimas alias, non minus ſpecioſas, in Horto cultas *Donninium* poſteris invidiſse. In infelicibus hiſce Catalogis Plantas plures ab aliis Botanicis illatenus non deſcriptas, primi quidem *Belluccius*, & *Donninius* indicarunt; ſed genericis, vel breviſſimis tantummodo nominibus, adeo ut arduum modo ſit in immenſo Plantarum cognitarum numero eas expiſcari. Si autem exactam ipſarum deſcriptionem ſubiungere, vel ſaltem praecipuas differentias nomine, ſeu definitione includere non detrectaſſent, Libellus ille utilitatem aliquam nobis adferret, & ipſi inventorum gloria non parum inclaruiſſent.

Reticendum non eſt Anno circiter MDCLII. *Chriſtianum Mentzelium* in ipſo hoc Horto Florentino primum obſervaſſe (78) *Cannam vel Arundinem totam niveam & foliis, & caule; Urticam item minime urentem*, quae

(77) V. Zannoni Iſt. 20. 69. & 192. Bocc. Muſ. P. I. 76. 148. 78. 111. 129. 137. 150. 151. Rar. 12. 31. 52 73. Triumfett. Obſerv. 96. Scarelli Poſtille ad alcuni capi della Storia Botanica di Giacomo Zannoni 17. 23. 56. 57.

(78) V. Eius Pugillum Rariorum Plantarum.

quae an *Donninii* ſolertiae debeantur, ignoro: Certe demonſtrant per ea tempora Hortum noſtrum magno in precio habitum fuiſſe vel ab Exteris Botanicis, qui longis peregrinationibus alios celebratiſſimos Europae Hortos inviſerant.

In Albis Familiarium Magni Ducis A. MDLVII. deſcriptum inveni *Ferdinandum Donninium Regiis Viridariis Praefectum*, *Angelo* fratri adiunctum. Vir hic multiplici doctrina ornatus, variis peregrinationibus per nobiliores Europae Provincias, in quibus militaverat non ſine gloria, politioris Agrorum & Hortorum culturae praecepta addidicit, & in Etruriae uſus tranſtulit. Anno MDCLXXXX. Inſtructionem quamdam Typis *Petri Matinii* edidit, de ſerendis, plantandis, atque putandis Moris, qui canon maioribus occultus, atque inviſus fuerat (79).

In partem laudis cum *Angelo*, & *Ferdinando Donniniis*, venit tertius Frater *Philippus* Med. D. (80) & ipſe Regiorum Viridariorum Praefectus, qui plurium novarum, & elegantiſſimarum Plantarum ſemina cum *Zannonio* (81) communicavit, praeſertim vero e Perſide & Syria delata ab *Auguſtino Tanio* Flor. Ordinis Praedicatorum. Ceterum *Philippi Donninii* labores Botanicos fuſe inferius proſequemur.

Interim animadverſione digni ſunt Codices duo chartacei in folio, manu exarati, qui errori anſam praebere poſſent. Unus in Bibliotecha Pub. Magliabechiana adſervatur, ab Anonymo quodam circa initium Regni *Ferdinandi II.* (ut videtur) concinnatus, mendacem titulum praeſeferens: *Trattato di diverſe Erbe che naſcono*

---

(79) Dom. M. Mannius de Florentinis Inventis 35. & Mich. Ang. Tillius Catal. Horti Piſani.

(80) *Philippus Donninus Flor. Viridariis Regiae Celſ. Praefectus, qui Plantas in Baldo Veronae Monte creſcentes legit, & enumeravit.* Tillius Praef. ad Catal. Horti Piſani. Iacobus Zannonius in Hiſtoria ſua Botanica pag. 20. & 192. Philippum Donninium appellat *Sopraintendente delli Giardini del Sereniſſimo Granduca.*

(81) V. Giac. Zannoni Iſtoria Bottanica variis locis.

no nel Giardino de' Semplici di San Marco, e in altri Giardini di queſta Città di Firenze, colle ſue Figure. Tyronis cuiusdam labor improbus eſt, qui e *Dalechampii*, & *Molinaei Hiſtoria Generali Plantarum* Gallice edita Lugduni A. MDCXV. figuras omnes Plantarum, ipſarum quoque Marinarum, & Corticum etiam, radicum, ac fructuum exoticorum officinalium abſcidit, chartae agglutinavit, ſingulisque ſubſcripſit nomen, locum natalem, formam, & facultates, ea fere methodo, qua *Camerarius* uſus eſt in *Matthioli Epitome*. Eumdem falſum titulum recentius additum, nempe: *Figure dell' Erbe tirate dalle naturali Piante, che ſono in Fiorenza nel Giardino de' Semplici, detto delle Stalle, di S. A. S.* praeſefert Codex vetuſtior in folio, qui *Ferdinandi Ughellii* (edita *Italia Sacra*, aliiſque doctrinae monumentis Illuſtris) dono acceſſit Bibliothecae Monaſterii ſui Florentini Ciſtercienſium A. MDCLIV. Revera continet infelices quasdam Plantarum figuras, in ſingulis paginis ſingulas, eaſque non e vivis in Horto cultis Plantis deſumptas, ſed e vetuſtiori aliquo Herbario deſcriptas, quorum plura ſaeculis XI. & XII. confecta in variis Bibliothecis adſervantur. Rudium illorum temporum proculdubio fetus eſt, exhibetque Plantas monſtroſas & chimericas, quales ferme in ineptiſſimo *Horto Sanitatis Ioannis Cubae* ſpectantur, qualeſque non Hortus noſter, ſed maleſanum Auctoris cerebrum protulit.

Munificentiam *Ferdinandi II.* ſenſit etiam *Paulus Bocconius* Panormitanus, de univerſa Naturali Hiſtoria egregie meritus, qui aliquandiu in Etruria vixit *Botanici Regii* titulo decoratus (82), eamque ferme totam perluſtra-

(82) Ipſe Bocconius in Epiſtola ad Coſmum III. Magnum Etruriae Ducem Nuncupatoria Libri ſui inſcripti *Recherches & Obſervations naturelles*, ait: *I' ay eu l' honneur pendant quelques annees d' eſtre l' un des Herboriſtes du feu Monſeigneur Voſtre Pere*. In Epiſtola autem ad Studioſos Rei Herbariae, quae impreſſa habetur in calce Catalogi Seminum Plantarum venum ab ipſo expoſitorum A. 1668. ſe Piſis Magno Duci inſerviſſe aſſerit, & Amicorum ſuorum Philobotanorum inſita humanitate animi, ac liberalitate, Botanici Magni Etruriae Ducis Laurea condecoratum fuiſſe.

ſtravit. Non quidem Horti noſtri (Praefectis, ut diximus, inſtructi) curam peculiarem habuit *Bocconius*, ſed pro iniuncti muneris ratione, ad ipſum locupletandum detuliſſe videtur Plantas quaslibet novas, rarioreſque in Botanicis ſuis excurſionibus repertas. Certe eius Epiſtolam quamdam ſe vidiſſe mihi retulit Vir Nobilis & fide dignus, qua *Bocconius* ad ..... ſcribit, miſiſſe ſe Plantas plures in uſum Horti Medici Florentini, oratque ut expenſas referri ſibi curet ex Aerario IX. Virorum Florentinae Ditionis Conſervatorum, quibus id oneris incumbere ſatis ſciat.

Coſmus III. Magnus Dux, ut peculiari ſemper erga Rem Herbariam amore flagravit, & Etruriam novis floribus fructibuſque ornare ſtuduit; ita quoque Horti ſui Florentini cultum & nitorem cordi habuit. Propterea ipſum locupletari curavit rariſſimis, noviſque Plantis, petitis ex omni Regione, inſignium eius aetatis Herbariorum opera uſus, praecipue *Philippi Donninii* Regiorum Viridariorum Praefecti ſuperius memorati, cui iuſſit ut Baldum Agri Veronenſis Montem inviſeret plantarum colligendarum gratia. Strenue *Donninius* Principis iuſſa perfecit, quumque diu ſeduloque Montem illum feraciſſimum perluſtraſſet, plures rariſſimas Plantas redux deportavit, ac ne laborum, inventorumque ſuorum memoria interiret, conſcripſit Hodoeporicon abſolutiſſimum, quod apud illius Heredes adſervari aiunt (83). Fortaſſis autem luce publica indignum non eſſet, & Deſcriptionibus eiusdem Montis a *Calceolario*, *Pona*, *Paſſerinio*, & *Martinio* conſcriptis, aequiparari poſſet.

Uſus quoque eſt *Coſmus* in Horto ſuo locupletando opera *Pauli Bocconii*, qui tunc temporis Ciſtercienſium Ordini addictus in Florentino Monaſterio degebat (84), in

(83) Pet. Ant. Michelius in Epiſtola Nuncupatoria Partis I. Novorum Generum Plantarum.

(84) V. Boccone, Muſcō di Piante Rare pag. 41.

in eoque A. MDCLXXXIV. peculiarem Hortum Plantis a ſe conquiſitis inſtruxerat, ut Medicis ac Pharmacopoeis ipſarum formas demonſtraret. Pluribus ſane novis per Etruriam Botanicis Excurſionibus Hortum Regium Florentinum *Bocconius* auxit, & Libris, quos *Coſmi* Munificentia adiutus conſcripſit, nova decora conciliavit.

Plantas rariores, quibus poſtremis *Ferdinandi II.*, & primis *Coſmi III.* Magnorum Ducum Imperii Annis, Hortus Florentinus niteſcebat, deſcribere conſtituerat *Petrus Natius* Iunior Flor. Med. D. *Petri Natii*, qui *Coſmo I.* Magno Duci a Medicina fuit, Abnepos, *Thomae Belluccii* Diſcipulus, & in Piſana Cathedra ſucceſſor. *Erat animus* (ſic ait ipſe) (85) *ſub una* Phytologicae Obſervationis *Epigraphe omnigenas Plantarum ſpecies in Hortis Florentinis repertas, diuque ſubſecivis temporibus a me obſervatas, multorum ad exemplar, onomaſtico ordine recenſere; & ſi quae ſimul paralipomena in eodem genere extitiſſent, cuncta in unum volumen recluſa publici iuris aliquando facere, non alium in finem, niſi ut Indigenae uno fere intuitu Stirpes, quas colere Florentia didicit, probe noſſent, & Advenae illas, quae forent a nobis expetendae, numquam ignorarent. Hoc mecum dum commentabar Opuſculum, & animo manus congruebant, Iconeſque multas aere iam inciſas, & huic rei comparatas reſervabam &c.* Inſignem hanc collectionem revera molitum eſſe *Natium*, & propterea figuras aliquot Plantarum aeri incidi curaſſe, teſtis ego eſſe poſſum, qui oculis uſurpavi ſingularia exempla quindecim, ni male memini, Tabularum aenearum ad hoc ipſum *Natii* Opus pertinentium, in unum volumen formae quartae compacta, apud Cl. *Michelium* adſervata. *Michelius* quidem ex archetypis *Natii* Tabulis exemplum hoc expreſſiſſe con-

(85) Petrus Natius in Florentina Phytologica Obſervatione de Malo Limonia —Citrata—Aurantia, Florentiae vulgo *la Bizzarria*, in Monito ad Lectorem.

contentus, illas tranſtulit in uſum Libri ſui *Novorum Generum Plantarum*, figuraſque inibi ſuas incidendas curavit, abraſis veteribus *Natii* figuris, eo potiſſimum quia Plantae illae novitatis gratia ſpectatoribus ſeſe commendare non amplius valerent, a pluribus Scriptoribus dudum publici iuris factae; quod ſane non contigiſſet, ſi *Natius* ipſe ſupremam manum operi imponere, illudque edere prohibitus non fuiſſet a luctuoſa caecitate, qua diu conflictatus eſt. Ceterum inter Plantas a *Natio* repreſentatas, memini tantummodo *Floris Cardinalitii*, ſeu *Rapuntii maximi coccineo ſpicato flore Col. in Rech.* 888. Fructus *Pyri* folioſi monſtroſi, & *Convolvuli* exotici cuiusdam; nequaquam enim volumen illud ad manus meas devenit cum reliquis Michelianis Libris. Notari tamen meretur, *Natium* in Iconibus hiſce exprimendis uſum eſſe Pictore, & Sculptore parum peritis, nec ullatenus comparandis *Balthaſari Franceſchinio* cognomento *Volaterrano*, & *Halluechio*, quibus Icon *Mali Limoniae-Citratae-Aurantiae* debetur.

Aliud praeclarum monumentum Plantarum Florentinum Hortum ornantium, vidi ego adhuc puer in Bibliotheca Viri Cl. *Brunonis Tozzii*, dum in Florentino Sancti Pancratii Monaſterio degeret. Codex erat Chartaceus in folio maximo, ſeu Regio, ut vocant, exhibens plurimas figuras Plantarum, quas vivis coloribus, miraque arte exprimi curaverat *Ioſeph Baldius* Flor. Med. D., qui exeunte Saec. XVII. multiplici doctrina, ac Rei Herbariae potiſſimum ſtudio inclaruit. Cimelium hoc modo adſervatur Londini in Bibliotheca *Guilielmi Sherardii* Botanici dum viveret praeſtantiſſimi (86).

Non ita pridem coemi Libellum formae quartae manu exaratum, & ita inſcriptum: *Index locupletiſſimus Plantarum omnium, quae in Viridario Botanico, a Ioſepho*

 Baldio

(86) Pet. Ant. Michelius in Syllabo Auctorum, quorum nomina brevioribus notis compendii cauſſa citata ſunt in P. I. Novor. Generum Plantarum.

Baldio Medico Phyſico Florentino ſpatio 36. Annorum elaborato, continentur: Prior numerus paginam, ſecundus cuilibet Plantae appoſitum numerum demonſtrabit: uberioris tamen doctrinae gratia, ad habenda omnium Plantarum Synonyma, indicabitur quo loci a Caſpare Bauhino in Pinace Theatri Botanici ipſa Planta reperiatur, &c. Terminatum hoc opus A. D. MDCLXXXVI. &c. Adverſaria haec ſunt autographa ipſius *Baldii*, lituris ſcatentia, continentque Catalogum Alphabeticum Plantarum, neſcio an Horti cuiusdam ſicci, an vero Codicis Sherardiani ſuperius memorati.

Duobus ab hinc annis coemi alium quemdam Catalogum Horti Noſtri, Vernacula Lingua a Studioſo aliquo, circa *Philippi Donninii* tempora, conſcriptum, & recenſentem Plantas plures elegantiſſimas, praeſertim Syriacas, Creticas, Montis Baldi &c. Sunt eae CXX. numero conſitae in Fictilibus intra, & circa Inſulam diſpoſitis; CXXII. in Area prope Regium Hippotrophium; LXI. in Area a Sambuco denominata; CXIX. in Area Hippocaſtani; V. in Area Plantarum Venenatarum; & XIX. in Fictilibus per Hortum ſparſis.

Aliud tandem luculentum teſtimonium cultus Horti Noſtri per ea tempora, eſſe poteſt ditiſſimus Hortus ſiccus, quem nuper vidi, inſcriptus: *Erbario di Filippo Buontempi Speziale di Sua Altezza Reale*, in duo ampla volumina diviſus, complectenſque ſceleta plurima Stirpium rariſſimarum Chartae Regiae agglutinata. Volumen primum incohatum fuit A. MDCLXII. abſolutum A. MDCLXXXXV.; Alterum vero incohatum eo ipſo Anno, abſolutum fuit A. MDCCV.

Poſt *Donninios*, nullum peculiarem Horti Praefectum conſtitutum fuiſſe certum eſt; ſed Hortulanos tantummodo ipſius curam habuiſſe. Hi ſane Florilegio potiſſimam navantes operam, deſpicatui habuere, & paulatim interire paſſi ſunt reliquas omnes Plantas,

quae

quae Floris venuſtate ſeſe nullatenus commendarent. Talem labem fruſtra ſubſtinere conatus eſt Vir in hoc ſtudiorum genere ſummus *Petrus Antonius Michelius*, Magni Ducis Botanicus renunciatus d. XVIII. Octob. MDCCVI., & Plantas in Hortum hunc, Piſanumque deferre iuſſus.

Variis quidem ille per Italiam Botanicis excurſionibus novas Plantas in Hortum tranſtulit, aliarum item exoticarum ſemina ab Amicis obtinuit; ſed omnes ferme Cultorum ſocordia periere.

Ut varia, at breviora Italica *Michelii* Itinera, Magni Ducis ſumptibus peracta, ſileam, Horto Noſtro immenſam acceſſionem factam fuiſſe credendum eſt ex Itinere illo, quod peregit A. MDCCX. plurium menſium ſpatio per Agrum Romanum, perque Apuliam, variaſque alias Regni Neapolitani Provincias, ut inter cetera, Plantas a *Fabio Columna* deſcriptas ſuis in locis obſervaret. Memini ſane *Michelium* fateri ſolitum, plura ſe uno hoc Itinere addidiciſſe, quam decem aliis. Id autem hoc argumento confirmari poteſt, quod MCCCXLI. Plantarum ſpecies a ſe obſervatas recenſuerit in deſcriptione primi iſtius Itineris Apuli, quam litteris conſignavit, quamque publici iuris facturus ego ſum, cum reliquis multis Michelianis Operibus Poſtumis, quum ocium, & aes ſuppetet. Non minori, nec minus ſplendida Plantarum peregrinarum meſſe Hortum hunc locupletavit *Michelius* A. MDCCXII. & inſequenti, quibus per ſexdecim menſes, Magni Ducis iuſſu, Tyrolin, Auſtriam, Bohemiam, Boruſſiam, Sileſiam, Thuringiamque perluſtravit. Verum praeclari iſti omnes Regiae Munificentiae, & *Michelii* laborum fructus, tam multae, tam venuſtae Plantae, Cultorum ſocordia, ut aiebam, periere. Factum proinde eſt, ut Horti ſui tantum dedecus indignatus Magnus Dux, *Societatis Botanicae Florentinae* precibus benigne annue-

rit, ipſique Hortum eumdem priſtino nitori Regiis ſumptibus reſtituendum commiſerit.

Quoniam vero *Societatis Botanicae* Magni Etruriae ornamenti mentio incidit, opportunum viſum eſt brevem Hiſtoriam originis, & inſtituti ipſius attexere, ut inde conſtet quam late modo pateat in Urbe noſtra Naturalis Hiſtoriae Studium.

Praecipua inſtitutae *Societatis* laus debetur *Io. Sebaſtiano Franchio* (87) Lucenſi Med. D., qui in Urbe noſtra, vel adhuc Iuvenis, praeſtantiſſimi Polyiatri famam exiſtimationemque ſibi comparaverat, & multa ac aſſidua familiaritate cum *Michelio* coniunctus, Rei Herbariae Studium ſummopere ſemper dilexit. Squallente, ut diximus, Horto Publico, *Franchius* Clinicae occupationibus detentus, nullibi melius obſervationes Botanicas inſtituere poterat, quam in Hortulo Medico Noſocomii D. Mariae Novae, qui ab ipſo *Marcello Virgilio* (88) memoratus, proculdubio vetuſtiſſimus inter Hortos Medicos cenſeri debet. In hunc igitur *Franchius* a *Michelio* transferri curavit Plantas plures indigenas, auctorque fuit *Nicolao Gualterio* tunc Medicinae Candidato, poſtmodum Archiatro celebratiſſimo (89), ut ex Horto Piſano Exoticas aliquot deportaret, quae tamen omnes Hortulanorum ſocordia citiſſime periere. Quum igitur illam, quam ſecum animo propoſuerant, utilitatem ex Horto Noſocomii non conſequerentur *Franchius*, *Michelius*, & *Gualterius*, cui ſeſe adiunxit amiciſſimus *Ioſeph Caietanus Monilia* I. C. & Prof. Pub., Hortulum aliquem domiciliis ſuis proximiorem parare conſtituerunt, in quo tamquam in portu confugere, & ſuavioribus Muſis litare poſſent. Propterea die I. Octob. A. MDCCXVI. conduxerunt Hortum, & inferiorem par-

(87) V. Micheli N. P. G. P. 1. pag. 24.
(88) V. Marcelli Virgilii Comment. in Dioſcor. Lib. 4. cap. 38. de Eupatorio.
(89) V. Novelle Letterarie di Firenze dell' A. 1744. Fog. 9. e 10. de' dì 28. Febbr. e 6. Marzo.

partem Domus cuiusdam in ea Urbis Regione, quae *Boſſi* vulgo nuncupatur, adſcitiſque in ſocietatem *Ioſepho Suareſio de la Concha* Pat. Flor. D. Steph. Eq. & Metropol. Eccleſiae Canonico, nunc Miniatenſium Praeſule Meritiſſimo, ac *Cerchio Cerchio* Senat. Flor. & D. Steph. Eq., inter ſe convenerunt, ut *Michelius* Plantas in Hortulum deferret, & apta cultura educari curaret; ipſi ſumptus omnes in eam rem ſuppeditarent. Paulo poſt Homileticen hanc Eruditam ad Academiae formam evexerunt, adiunctiſque in ſocietatem Studiorum Viro Cl. *Philippo Bonarota* (90) Senat. Flor., *Barthol. Gornia* Archiatro, & *Cypriano Antonino Targionio* (91) Polyiatro celeberrimo, conſtituerunt die X. Iul. MDCCXVII. *Franchium* Directorem, *Suareſium* Proviſorem, *Moniliam* a Secretis, *Gualterium* Cuſtodem, *Michelium* tandem Rei Herbariae Profeſſorem, & Plantarum Inveſtigatorem. Interea Horti ſolum probe expurgatum ac ſubactum, & in quatuor ſpatia diviſum, *Suareſii* & *Cerchii* munificentia aptatum, ac fictilibus plurimis auctum, Plantis a *Michelio* delatis conſerere coeperunt: Domum item univerſam conduxerunt, & erudita ſupellectile ornarunt, Libris praecipue Philoſophicis & Botanicis, quos *Monilia* e Bibliotheca Avi ſui *Io. Andreae* Archiatri ſuppeditavit.

In Hortulo Aeſtate A. MDCCXVII. *Michelii* ſolertia iam ſatis culto, ſatiſque inſtructo, Academici conveniebant quoties a muneribus quique ſuis vacarent, & vel eruditis colloquiis, ac Plantarum obſervatione animum recreabant, vel lectione, aut meditatione, prout cuique libitum eſſet, tempus fallebant. Ipſorum certe inſtitutum collaudavit *Guilielmus Sherardus* Anglus, Botanicorum ſui Aevi facile Princeps, quod novo conatu, Academicorum Studiorum materiam e-ditiſ-

(90) V. Io. Lamii Memorabilia Italorum &c. T. 1. pag. 7.

(91) V. il F. 26. delle Novelle Letterarie di Firenze del 1748. 28. Giugno.

ditiſſimo Rei Herbariae penu delegerant. Smyrna ille redux, in Horto Boffiano plures Michelianas novas Plantas non ſine voluptate obſervavit, Academicorum eruditis colloquiis, ac Sympoſiis interfuit, & ſtimulos ipſis addidit, ut propoſitum illuſtrandae Rei Herbariae alacrius urgerent. Summi itaque huius Viri approbatione freti Academici, maiores quotidie progreſſus habuere, & brevi Civium ſuorum laudes promeriti ſunt; adeo ut plures Viri Docti, & elegantiarum amatores, cum ipſis in partem ſtudiorum & laudis venire poſtularint. Impetrarunt autem *Pandulphus Pandulfinius*, & Comes *Ferrantes Capponius*, Senatores Flor.; *Carolus Th. Strozza* Patr. Flor.; *Benedictus Breſcianius* (92) Ser. M. Ducis a Secretis & Bibliotheca; & *Io. Bapt. Felicius* Comes, & Med. D. in *Barthol. Gorniae* demortui locum adſcitus, qui omnes in Leges dudum ſancitas iurarunt d. III. Febr. MDCCXVIII. Horum itaque omnium collata opera Hortulus Boffianus tanta Plantarum acceſſione locupletatus in dies fuerat, ut iam DXXV. diverſas ſpecies ſtudioſis exhiberet; quumque propterea locus novis Plantis deeſſet, Academici ampliorem ſtudiis ſuis ſedem quaerere coacti ſunt.

Opportune interea, uti ſuperius diximus, cogitaverat Magnus Dux Hortum ſuum Florentinum priſtino ſplendori reſtituere, qui Cultorum ſocordia adeo ſquallebat, ut non plures LXXXIV. Plantarum ſpecies contineret, aut ad ſummum CLX. ſi Arbores fructiferas includas. Eapropter Societatis Botanicae precibus facile annuit Magnus Dux, & Clementiſſimo Diplomate d. XXXI. Octob. A. MDCCXVIII. ipſi Medicum Regium Hortum cuſtodiendum, exornandumque annua dote CCCL. Aureorum conceſſit. Regia Munificentia recreati Academici, ſtimulos ſibi ad laudem addi ſenſerunt, & ut Principis iuſſa perficerent, varias Leges ſan-

(92) V. Lami Memorab. Ital. T. I. pag. 47.

ſanxerunt, quibus Horti culturae & nitori proſpiceretur. Praeerat Societati Vir ſummus *Philippus Bonarota* electus d. VIII. Sept. & Director Culturae Plantarum erat *Michelius*, qui ſpartam ſibi commiſſam ſtrenue ornavit. Quatuor enim Horti ſpatia Camporum in morem ſquallentia ſubigi curavit, in pulvillos parallelogrammos Buxis tonſilibus circumſcriptos diſpeſcuit; duo alia ſpatia Arboreto deſtinavit pulvillis in quincumcem diſtributis; pulvilloſque alios in Sylvula prope maiorem Horti portam Plantis Alpinis paravit.

Pauciſſimas deinde, quae ſupererant, Plantas Caſabonianas, & Donninianas ab interitu vindicavit; illas quas in Hortulo Boſſiano coluerat tranſtulit, ac permutatione ſceletorum Plantarum a ſe in Italia primum inventarum, obtinuit A. MDCCXIX. a Cl. *Vaillantio* ſemina CCXXIV. Exoticarum, quibus praecipue Immortalis *Tournefortius* ex Orientali ſuo Itinere Regium Pariſienſem Hortum ditaverat.

Rebus ita conſtitutis, Socii Botanici, ſuadente *Michelio*, decrevere non Exoticas tantum Plantas, ſed rariores etiam Italicas, ac praeſertim Etruſcas in Horto colendas eſſe: Maxime ſiquidem proficuum Studioſis, & pergratum Advenis fore crediderunt, ſi uno in loco obſervare poſſent Stirpes quaſcumque pulchriores Itala Tellus profert. Acceſſit quod ſeminum ipſarum permutatione, facilius Exoticas Plantas, quibus Hortus locupletaretur, obtinere ſe poſſe ſperarunt. Huic muneri deſtinarunt *Michelium*, qui perquirendarum Plantarum amore inflammatus libentiſſime impoſitum onus ſuſcepit, & quaeſitum ivit eas in nativis locis a *Caeſalpino*, *Anguillara*, *Columna*, *Barrellerio*, & *Bocconio* indicatis, ut archetypas tantorum Virorum Plantas tuto nanciſceretur. En brevem Catalogum Itinerum Botanicorum, quae *Michelius* iuſſu Societatis Botanicae peregit Regnante *Coſmo III.*. Inter prima recenſebo unum

inſti-

inſtitutum per Ilvam Inſulam, per Montem Argentarium, aliaque Orae Maritimae Etruſcae loca. Secundum per Mugellanam Praeturam, Alpes Iugi dictas, Agrum Bononienſem, rurſus per Alpes Mugellanas, Piſtorienſes, Mutinenſes, & Apuanas, Agrum Petraſanctanum, & Oram Maritimam Lucenſem: in huius Deſcriptione ad CLXXXX. Plantas a ſe obſervatas recenſet. Tertium per Vallem Arni inferiorem, Agrum Paludemque Blentinatem, Montes Piſanos, Planitiem Piſanam, Oram Maritimam Liburnenſem, Lucenſem, & Maſſenſem: in Deſcr. Obſ. Pl. N. LXXXVI. Quartum A. MDCCXXII. per Urbem Romam eiuſque Agrum, per Oram Maritimam Hoſtienſem, Centumcellanam, & Craſſetanam: in Deſcr. Obſ. Pl. N. LXIII. Quintum eodem Anno cum Cel. *Io. Hieronymo Zannichellio* Amico ſuo per Venetorum Inſulas, praecipue illam Pordelio dictam: in Deſcr. Obſ. Pl. N. CCXIV. Semina collecta in Itineribus hiſce *Michelius* permutavit cum Amicis, plurimaque Exotica obtinuit a *Vaillantio* A. MDCCXX., XXII., & XXIII.; a *Boerhaavio* LVII. A. MDCCXXII., & a *Sherardio* CXL. *collecta in Horto Fratris* A. MDCCXXIII. Mirum proinde dictu eſt quam facile revixerit, & quantopere poſtremis Regni *Coſmi III.* Annis enituerit Hortus, Societatis Botanicae vigilantia, & *Michelii* laboribus, ut brevi antiquum decus famamque recuperarit. Vivunt ſane plurimi oculati teſtes inſtaurationis huius, quae aeſtimari etiam poſſet ex variis Catalogis Plantarum Horti ipſius, quae inter Micheliana Manuſcripta adſervantur. Poſt *Bonarotam* Praeſides Societatis fuere *Pandulphus Pandulphinius* Sen. Flor., & *Petrus Capponius* Marchio, qui nonnulla circa Leges pro opportunitate variarunt, & Societatem Viris omni doctrinae genere ſpectatiſſimis auxerunt.

Parum de ſplendore ſuo amiſit Hortus Regnante *Ioanne Gaſtone* Magno Duce, Moderantibus Societatem

Bota-

Botanicam Viris Amplis. *Petro Franc. de Riccis* a Sanctioribus Conſiliis S. C. M. Sen. Flor. Equeſtris Ordinis D. Steph. Praeſide, ac Piſani Athenaei Moderatore, & *Scipione Capponio* Marchione, quamvis plurimae ſeſe obtulerint difficultates, quas referre non vacat. *Michelius* ſolito inveſtigandarum Plantarum amore incenſus, praeter breves excurſiones per Agrum Florentinum, iuſſu Societatis libentiſſime perfecit Itinera ſex Botanica, quibus Hortum mirifice locupletavit. Primum fuit Menſe Octobri A. MDCCXXIV. Per Alpes Falteronae, Camalduli, & Alverniae: in Deſcr. Obſ. Pl. N. LXXXXIII. Secundum A. MDCCXXV. cum D. *Io. Hieronymo Zannichellio* ſuperius laudato, per Iapidiam (93). Tertium A. MDCCXXVIII. a d. XX. Nov. ad XV. Dec. per Caſtri Florentini, Collenſis Urbis, & Volaterrarum Agrum, Dynaſtiam Gheradeſcam, Oram Maritimam Populonienſem, Plumbinatem, Campilianam, Vadorum Volaterranorum, & Liburnenſem: in Deſcr. Obſ. Pl. N. XLII. Quartum A. MDCCXXIX. Menſe Iulio diebus duodecim per Agrum Arretinum, Alpes Montis Acuti, Sextini, Saxi Simeonis, Carpineae, Alverniae, & Vallis Umbroſae: in Deſcr. Obſ. Pl. N. LXII. Quintum A. MDCCXXX. per Apuliam, ut inveſtigationem Plantarum a *Fabio Columna* deſcriptarum abſolveret, & obſervationes in alio Itinere per easdem ferme regiones habito A. MDCCVI. incohatas recenſeret. Alterum hoc Iter Apulum perfecit iuſſu, & ſumptibus partim Societatis Botanicae, partim Moderatorum Academiae Piſanae, comitem adſumpſit V. Cl. *Thomam Perellium* Med. D. nunc in Piſano Lycaeo Aſtronomiae Prof. Pub., & immenſa Plantarum acceſſione Hortum hunc Florentinum, & Academicum Piſanum ditavit. A die igitur VIII. Maii ad XXII. Iunii, ingenti

††††† labore

(93) V. Io. Hier. Zannichelli Opuſcula Botanica Poſtuma pag. 9.

labore perluſtravit Vallem Arni ſuperiorem, Agrum Arretinum, Cortonenſem, Aſſiſianum, Fulginatem, Pedivallenſem, Nurſinum, Aquilanum, Sulmonenſem, Populenſem, Pettoranenſem, Caſtropignolenſem, Volturarienſem, Foggianum, Ciriniolenſem, Hortanum; Montem Garganum, Agrum Manfredonienſem, Sancti Ioannis Rotundi, Serranum, Campimarini, Tremitanum, Piſcalancianenſem, Piſcarienſem, Anconitanum, Ariminenſem, Bononienſem, Apenninum, & Praeturam Mugellanam tandem: in Deſcr. Obſ. Pl. N. CCCIII. Sextum iter illud eſt, quo Aeſtate eiusdem Anni a die XVIII. ad XXVIII. Aug. cum *Brunone Tozzio* Abb. Vallumbroſ. Rei Herb. Prof. Cl. Agrum Piſtorienſem, Alpes Apuanas, Agrum & Oram Maritimam Petraſanctanam ac Lucenſem inviſit: in Deſcr. Obſ. Pl. N. XLIV. Silentio praetereundum non eſt *Brunonem* ipſum *Tozzium* Menſe Sept. A. MDCCXXVII. Societatis Botanicae iuſſu, iter per Alpes varias Etruſcas peregiſſe, indeque LXXV. Plantarum ſpecies in Hortum deportaſſe. A. MDCCXXIV. *Michelius* nova Exoticarum Plantarum ſemina a *Vaillantio* accepit, & duobus inſequentibus annis alia a Fautore ſuo ſummo *Herm. Boerhaavio*.

Feliciores illuxere dies Societati Botanicae A. MDCCXXXI.; Praeſide namque *Ferrante Capponio* Comite, & Senat. Flor., amoti ſunt obices plures, ipſique Hortum univerſum pro lubitu excolere licuit. *Michelii* igitur ſuaſu Spatium Quintum, ſeu Orientale ſuperius, rite ſubactum, diſtributum fuit in Areolas LVII. margine lapideo circumſcriptas, ac peculiaribus numeris ſcalpri ope notatas; ipſis deinde Areolis *Michelius* Plantas ſextae, & ſeptimae Claſſis Tournefortianae conſeri curavit, & ut ipſarum Claſſium inopiam ſuppleret, tria Itinera peregit. Primum fuit Menſe Octobri A. MDCCXXXI. per Alpes Piſtorienſes: in Deſcr. Obſ. Pl. N. LXV. Alterum A. inſequenti, me ſibi comite adſci-

adſcito, a d. XXI. Oct. ad II. Nov. per Vallem Arni ſuperiorem, Agrum Arretinum, & Cortonenſem: Deſcriptionem ipſe confeci. Tertium A. MDCCXXXIII. a d. XXII. Maii ad XXI. Iunii cum *Io. Bapt. Mannaionio* Med. D. per univerſam ferme Provinciam Senenſem, Comitatumque S. Florae: in Deſcr. Obſ. Pl. N. CCL.. Silentio praetereundum non eſt, *Io. Dominicum Civininium* Med. D. die XIX. Aug. eiusdem Anni, in conſeſſu Societatis pronunciaſſe Diſſertationem ſuam de Natura & Viribus Malorum Limoniarum, Citriarum, & Aurantiarum, quam deinde publici iuris fecit (94).

Ferranti Capponio ſuffectus fuit d. IV. Sept. A. MDCCXXXIII. *Vincentius* e Marchionibus *Capponiis* Eccleſiae Metropol. Flor. Canonicus, qui incomparabili ſedulitate Horti nitorem, & Societatis decus promovere annisſus eſt. Sociorum etenim quorumdam, *Michelii* praeſertim, *Gualterii*, & *Ant. Cocchii* conſiliis uſus, quibus unica Horti cultura exiguum nimis, nec ſatis dignum munus Inclyta Societate viſum eſt; materiem ſtudiorum & exercitationum Academicarum ex univerſa Phyſica Scientia delegit, in qua tot Eruditorum Virorum ingenia expatiari libere poſſent, & *Societatem*, novis praeclaris Sodalibus auctam, non amplius *Botanicam*, ſed *Philoſophicam Florentinam* appellari maluit. Propterea novas Leges, quibus Studiorum & munerum ratio definiretur conſcribi curavit, in quas iurarunt Socii d. XV. Ian. MDCCXXXIV. St. com.

Hanc ſuam Inſtaurationem ſolemni panegyri celebrandam decrevit Societas, idque onus commiſit ſuo a Secretis V. Cl. *Antonio Cocchio* ſuperius memorato, Med. D. Phil. Nat. & Anatomes Prof. Pub. S. C. M. Antiquario, & Regiae Londinenſis Societatis Sodali, qui ſtrenue perfunctus eſt munere ſuo, & novum So-

(94) *Della Storia degli Agrumi: Lezione Accademica di Gio. Domenico Civinini Socio dell' Accademia Bottanica Fiorentina. In Firenze 1734. in quarto.*

cietatis Inſtitutum pro dignitate, laudavit Oratione publice pronunciata d. II. Sept. A. MDCCXXXIV. in Aula Veteris Palatii, in frequenti Civium Exterorumque conſeſſu. Eam Orationem, quae Societatis propoſitum luculenter exprimit, ipſe Cl. *Cocchius* mecum perhumaniter communicavit, & ut in calce Praefationis huius ederem permiſit.

Novis Legibus ſancitum erat inter cetera, ut ſtatis diebus publici Academici Conſeſſus haberentur, in quibus Socio cuilibet nova in Phyſicis obſervata proferre, & Diſſertationes de variis Phyſicomedicis argumentis perlegere liceret.

Primus itaque publicus Conſeſſus habitus eſt die XX. Sept. A. MDCCXXXIV. apud *Io. Gualbertum Franceſchium* Patr. Flor., eique praeter ceteros interfuit Vir Ampl *Martinus Folkes* Anglus, modo Regiae Societatis Londinenſis Praeſes meritiſſimus. *Michelius* duas *Hippocaſtani* ſpecies diſtinxit, a Botanicis illatenus ſub uno *Hippocaſtani vulgaris* nomine compraehenſas. Prima fructum profert ſpinis raris, brevibus, & rectis armatum, ac ſeminibus fetum rotundis; Altera ſpinis crebris, longis, & uncis munitum, ſemina autem oblonga continentem: Utriuſque ſpecimina recentia obtulit ex Regio Caſtelli Viridario, & ex Horto de quo agimus. Obtulit quoque, & deſcripſit Folia, Flores, & Fructus *Yucae Indicae* in hoc Catal. deſcriptae pag. 101., notas characteriſticas Generis *Yucae* ab Auctoribus propoſitas emendans. *Io. Bapt. Felicius* Comes & Med. D. oſtendit & deſcripſit Calculos plures a ſe in Cyſtide Fellea Cadaveris Humani repertos. Ego exhibui figuram, & deſcriptionem Stratorum Argillaceorum & Arenaceorum, quibus Solum Vallis Arni ſuperioris conſtat, & ex quibus deducitur feraciſſimam illam Etruriae Provinciam, quae modo ab Arno, Riviſque in ipſum defluentibus mire corroditur ac devaſtatur, donum olim fuiſſe

ipſius

ipſius Arni, quum ſaxeo ingenti obice apud Rinianum, & inferiori apud Inciſam ſtagnare cogeretur. *Io.* tandem *de Baillou* Eques excitavit plures, miraſque Fermentationes, permixtione variorum Liquorum Chimicae exquiſitioris ope eductorum.

Secundus publicus conſeſſus habitus eſt d. VIII. Iunii MDCCXXXV. in Muſaeo V. Cl. *Nicolai Gualterii*. *Michelius* communicavit obſervata ſua varia circa nova Teſtaceorum Genera. Primum eſt *Crepidula*, Teſtacei Genus monotomum, non turbinatum, patellaeforme, thalamo quodam inſtructum, quod deinde ab ipſo *Gualterio* deſcriptum fuit nomine *Patellae ſtructura peculiari donatae*, & repraeſentatum in *Indice Teſtarum Conchyliorum Muſaei ſui* Tab. 9. 69 H.. Alterum, *Tubulus Vermicularis polythalamius* ab eodem *Gualt.* Deſcr. Tab. 10. LL.. Tertium *Pholas polytoma Gualt.* Tab. 105. Quartum *Balanoides*, ſeu Balani vulgaris ſpecies fundo mobili. *Cocchius* perlegit Hiſtorias morbi, & ſectionis Cadaverum trium Inedia ab Oeſophago occluſo mortuorum. In Femina quadragenaria, quae obiit die undecimo inediae, duae Piſcis Salmonis ſaliti vertebrae cavitatem Oeſophagi obturarant, & acutis proceſſibus ipſius tunicae firmiter adhaeſerant. In Femina alia, quae duodecimo inediae die occubuit, Glandulae Dorſales tumefactae partim ſcirrhoſae evaſerant, partim ſuppuratae ulcus ſordidum fecerant, quod Oeſophagum & Aſperam Arteriam adhaerentem corroſit, & alimentis viam obſtruxit. In tertio tandem Aegroto, qui decimotertio Inediae die occubuit, Glandulae eaedem Dorſales, ſimul cum Oeſophagi portione contigua prope quintam Dorſi Vertebram ſuppuratae, cicatricem duram & calloſam efformarant, quae cavitatem Oeſophagi penitus occluſerat. Omnes autem viribus gradatim imminutis, pulſu minori & crebriori ſenſim facto, tandem tenui & frigido ſudore erumpente, mente integra,

placi-

placidiſſime extincti ſunt. Cadavera diſſecta, praeter occluſiones Oeſophagi, oſtenderunt viſcera omnia arida, ramificationes venarum elegantiſſimas, & argenteos muſcularium fibrarum faſciculos, quemadmodum *Redius* in Brutis fame enectis obſervaverat. Poſtremo *Io. Gentilius* Med. D. communicavit Hiſtoriam Febrium Scarlatinarum, quae Florentiae A. MDCCXXXIV. populariter graſſatae fuerant; & obſervationes plures recenſuit circa curationem Leucophlegmatiae, quae Febribus hiſce ſuccedere conſueverat.

In tertio conſeſſu ibidem habito d. XI. Aug. inſequentis, *Michelius* demonſtravit Flores & Semina *Androſacis Marinae*, & *Caltham* in hoc Catalogo deſcriptam pag. 20. & 122.. Cl. *Cocchius* perlegit elegantiſſimam Diſſertationem de *Vermibus Cucurbitinis*, qui rarius quam ceteri Vermes in Humanis Inteſtinis vivunt, & propterea a Scriptoribus Pathologicis non ſatis accurate examinati fuere. Pluribus rationibus evicit Vermes hoſce, figura plerumque ſemina Cucurbitae aemulantes, quandoque contractos, globoſos, vel incurvos, fere ſemper ſolitarios, & diſcretos, una extremitate (vel capite nempe, vel cauda) firmiter adhaerere tunicae Ventriculi, vel Inteſtinorum, ea ferme ratione, qua *Hirudines* cuti (vel, ſi mavis, *Polypi minimi paluſtres* (95)

varìis

(95) Obiter adnotabo reperiſſe me duas horum *Polyporum* ſpecies, ſupra *Confervam* in Rivo Horti natam, Menſe Aprili A. 1745. quarum una maiuſcula, carnei coloris, altera minima, coloris elegantiſſimi ſmaragdini: ambae autem per Microſcopium prorſus ſimiles *Polypis* a D. *Backer* deſcriptis apparuere, duplici brachiorum corona circa os inſtructae, quae Cochlearum oculos omnimoda, ſed velociſſima contractione aemulabantur. Animalcula haec, aliaque minuta in Aquis paluſtribus degentia, pluries, & multifariam ſecui; ſed numquam tam felici mihi eſſe licuit, ut eorum membra diſſecta viderim reviviſcere, & in novum Animal integro ſimile evadere. Bis tantummodo mihi videor vidiſſe ex ovulis abſciſſo Matris membro, ſeu fruſto penitus mortuo, & putreſcenti adhaerentibus (utpote quae a vivente iam exploſa fuerant, & mucco quo veſtiuntur Matris cuti ſeſe agglutinaverant, ut frequenter in Oſtracodermatis accidit) & ſemel ex ovulo in interiori parte mortui membri Matris clauſo, erupiſſe nova Animalcula Matris ſimilia, a cuius tamen membris adhuc dum mortuis, & putreſcentibus diverſa erant. Pari ratione ex ovulis in *Pulicis* occiſae diffracto Alvo remanentibus, vermiculos, qui deinde in *Pulices* mutantur, prodire vidi, & ſemina *Malorum Limoniarum*, & *Aurantiarum* in ipſo fructu viventi & clauſo germinant. Confer *Levvenhoekii* Epiſt. 1. & 6. ad *Ant. Magliabechium* a me editas in T. 2. *Epiſtolarum Clarorum Belgarum*, &c. pag. 349. & 359.

variis aquaticis Herbis) ſeſe applicant; quemadmodum *Wepferus* in *Canum* tantummodo, & *Redius* in *Felium* Inteſtinis antea obſervarant. Quotieſcumque vero humor in Ventriculo, & Inteſtinis contentus, vel liquida in vaſis tunicae ipſorum circulantia (ob Alimenti, vel Pharmaci alicuius miſcelam) *Cucurbitinis* ingrata, vel noxia evaſerint, putavit ſolere illos, vel eſcae ſalubrioris quaerendae, vel fuga ſe a moleſtia praeripiendi cauſa, aliis *Cucurbitinis* praelonga ſerie, ſeu catena coniungi, ut unus anteriori parte ſeu ore, poſteriori ſeu caudae alterius firmiter adnectatur. Longiſſimas horum fugitivorum Vermium Catenas, quae peculiari nomine *Taeniae* nuncupantur, in quibusdam Aegrotis ſe obſervaſſe referunt varii Scriptores Medici: Duas autem praelongas oſtendit Cl. *Cocchius*, partim in Spiritu Vini adservatas, partim ſupra chartam caeruleam arefactas, quas per eos dies Aegroti duo excreverant, ſimul cum variis *Cucurbitinis* ſolitariis, vel binis. *Taenia* una ſeſquiulnalis, *Cucurbitinis* conſtabat fere CXX. maiuſculis, & validioribus; altera minoribus & gracilioribus: utraque autem ſpectatoribus abunde monſtravit *Taenias* nil aliud eſſe, quam Catenas plurimorum *Cucurbitinorum*, quemadmodum coniectura aſſequuti fuerant priſci aliquot Medici noſtrates, *Thadaeus ſummus Phyſicus*, *Nicolaus Falcuccius* cognomento *Florentinus*, ac *Antonius Benivenius*, & quemadmodum accuratis obſervationibus evicit Cl. *Valliſnerius*; non vero peculiare aliquod Lumbrici genus eſſe, ut perperam aſſeruit *Daniel Clericus*, deceptus a lacera portione corporis *Cucurbitini* unius, quam *Taeniae* univerſae caput eſſe credidit. Praeter maciem, quam corporibus in quibus hoſpitantur producunt *Cucurbitini* (ob meliorem Chyli partem ſubtractam) excitare plerumque ſolent Ventriculi ſpaſmos, Cardialgiam, Globum Hyſterico ſimilem, Aphoniam, Stupiditatem, Lipothymiam, aliaſque multiformes Nervo-

vorum Affectiones. Has omnes oriri poſſe credidit *Cocchius* a vellicatione, & irritatione, quam Beſtiolae hae in magno ſaepe numero, excitant in Tunica nervoſa Ventriculi, eiuſque inſignibus Nervis. Inter Remedia quum Tunicam Ventriculi obſident, commendavit potiones Vini meracioris, aut Spiritus Vini Aromatibus conditi; quia odor & contactus horum Liquorum *Cucurbitinis* moleſtus, eos cogat e Ventriculo in Inteſtina praecipiti fuga ſecedere, & in Catenas, ſeu *Taenias* coniungi; quod ipſis exitio eſt, quum facilius, & maiori in copia ſub *Taeniae*, quam ſolitariorum *Cucurbitinorum* forma excerni ſoleant. *I. D. Civininius* perlegit Hiſtoriam ſectionis Cadaveris Feminae cuiusdam, in quo tumor pondo librarum XV. in Ovario ſiniſtro repertus fuit, & ruptura Venae Pulmonaris, cauſa immediata mortis. *Felicius* tandem exhibuit Spiritum e Saccharo eductum, coloris obſcuri, ſapore acri empyreumatico, & Chimicam quamdam Sacchari praeparationem, quae incenſa tota in flammam caeruleam avolabat.

In quarto denique publico Conſeſſu ibidem habito die VII. Septembris inſequentis, *Michelius* obtulit ac deſcripſit *Aurantium*, *Pomum Adami dictum*; *Limonem* ſeu *Pomum Paradiſi Ferr. Heſp.* 305. & *Citreum Calyce longo, craſſiſſimo, & quinquepartito* Catalogi huius H. Flor. 27. Lapides item duos Idiomorphos in Alpibus Saxi Simeonis repertos, ad Ferri venas reducendos, quorum unus Linguae Bovillae ſimilis, alter granulis Lini ſeminum ſimilibus compactus videtur. *Felicius* communicavit ſectionem Anatomicam Cadaveris, in quo viſcera ſitu contrario diſpoſita erant; & *Gentilius* Obſervationes varias Medicas circa Molas. Ego tandem obtuli & deſcripſi *Silicem aculeatum Mercati Metalloth. Vatic.* 270. Cornua item Cervorum, Dentes ignotorum Animalium, & Oſſa Elephantum petrefacta, quae repereram in Valle Arni ſuperiori, & per ſe ſatis oſtendunt multo anti-

quiora

quiora Annibalis aetate eſſe, tum ratione profunditatis Stratorum Argillaceorum e quibus erui; tum etiam ob varias aetates, & diverſam amplitudinem Oſſium ipſorum, quae Maximos Elephantes, ſeu Indicos, & Minores, ſeu Numidicos, plurium ſaeculorum ſpatio in his locis vixiſſe demonſtrant.

Quamvis Societas Philoſophicis hiſce Exercitationibus potiſſimum ſeſe devoverit, non tamen Hortum derelictui habuit; quinimmo ipſius ſplendorem & culturam provexit. Propterea *Michelius* tria Itinera peregit; primum A. MDCCXXXIV. a die XVII. ad XXIII. Iulii per Vallem Arni Inferiorem, & Umbronis, ac per Alpes Piſtorienſes: in Deſcr. Obſ. Pl. N. CLII. Alterum Autumno eiusdem Anni per Agrum Bononienſem & Ravennatem, Oram Maritimam Piceni, & Alpes Cantiani. Tertium A. MDCCXXXV. a die X. ad XXI. Iunii per Oram maritimam Piſanam ac Liburnenſem, & Montes Piſanos: In Deſcr. Obſ. Pl. N. CVII.

Felicibus interim Societatis inceptis, & *Capponii* Praeſidis conatibus averſus afflavit ventus, adeo ut vela ſtatim contrahere neceſſe fuerit. *Capponius* propterea ſponte abdicavit d. XXV. Sept. MDCCXXXV., eique ſuffectus fuit *Antonius* e Marchionibus *Niccoliniis*, qui cunctando rem reſtituere anniſus eſt. Plantas igitur, quae in Horto tunc temporis colebantur ſervare ſtuduit; & *Michelio* iniunxit ut ipſarum Catalogum conficeret typis edendum. Operi manus ſtatim admovit *Michelius* & A. MDCCXXXVI. Catalogum conſcripſit, quem modo publici iuris facimus. Continet hic, ut verum fatear, vix decimam partem Plantarum, quae ab eo tempore, quo Magni Duces Horti curam Societati Botanicae commiſerunt, cultae inibi fuere, a *Michelio* aſſiduis peregrinationibus, vel permutatione cum Amicis Botanicis congeſtae; reliquae enim omnes ob Hortulanorum ſocordiam, vel ob propriae ſedis, culturaeque

§ defe-

defectum perierant. Ingentem hanc tamen iacturam aliquatenus compenſavit *Michelius* accurata ipſarum Plantarum deſcriptione in reliquis Operibus Poſtumis exhibita. Magna ſane vis frigorum Plantas plures Orientales & Maritimas, & maximi Aeſtivi Calores Alpinas enecant quotannis in Horto noſtro Hypocauſtis, & Vaporariis, Umbraculis pariter, & crebris Hydrophylaciis nondum inſtructo. Annua haec Horti detrimenta reſarcire conſueverat Societas frequentibus Michelianis Excurſionibus; fecitque pariter A. MDCCXXXVI. ſumptibus partim ſuis, partim Academiae Piſanae, & *Michelium* a d. IV. Sempt. ad XXX. Nov. peregrinatum miſit per Agrum Bononienſem, Ferrarienſem, Patavinum, Veronenſem, Montem Baldum, & Venetas Inſulas. Ampliſſimam inde meſſem retulit *Michelius*, & non Hortos tantum Piſanum, & Florentinum, ſed & Opera ſua Poſtuma mirifice locupletavit. Verum non ipſi ſolum *Michelio*, ſed & Orbi quoque Erudito fatale fuit hoc Iter, tempeſtate nimis varia & frigidiuſcula, ingenti velocitate, ac immenſo labore peractum; utpote quod viam ſtravit dirae Pleuropneumoniae, qua magno Amicorum luctu occubuit d. II. Ianuar. MDCCXXXVII. St. Com.

Graviſſimam ſane iacturam paſſa eſt Societas Botanica praecipuo Parente orbata; & ut aliqua ex parte conceptum dolorem mitigaret, tanti Viri memoriam Funebri Laudatione conſecrandam eſſe decrevit. Id oneris libentiſſime ſuſcepit Cl. *Cocchius*, & Amici merita laudeſque pro dignitate proſequutus eſt Oratione, quam habuit die VII. Aug. MDCCXXXVII. coram lectiſſimo Civium Exterorumque Conſeſſu; quamque poſtea Typis evulgavit (96).

Miche-

(96) *Elogio di Pietro Antonio Micheli Botanico dell' A. R. del Sereniſſimo Granduca di Toſcana, e Fondatore della Società Botanica Fiorentina, letto pubblicamente nella Sala del Conſiglio di Palazzo Vecchio il dì 7. Agoſto* 1737. *da Antonio Cocchi Mugellano, eſſendo Preſidente della medeſima Società l' Illuſtriſſimo Signor Abate Marcheſe Antonio Niccolini. In Firenze* 1737. in quarto.

Michelio in Horti Cuſtodia Societas benigne ſubrogavit d. VII. Ianuar. MDCCXXXVII. me longo proximum intervallo, voluitque inter cetera, ut *Catalogum* hunc *Michelianum* ad editionem pararem. Non multum ſane promovere potui Horti nitorem, minantibus adhuc adverſis Societatis temporibus. Plantas ſolummodo quas inibi cultas repereram, magna cura ſervare anniſus ſum, & plurium Exoticarum acceſſione ipſas ſupplere, quarum ſemina variis temporibus obtinui a Viris Cl. *Io. Bapt.* Lib. Barone *de Baſſand.* S. C. M. Archiatro, & Botanico Eximio; *Io. Iac. Dillenio* Rei Herb. Prof P. Oxonienſi; *Io. Ammano* Prof. Petropolitano; *Iulio Pontedera* Prof. Patavino; *Angelo Attilio Tillio* Prof. Piſano; & *Petro Collinſon* Philobotano Londinenſi. Spatium praeterea tertium, quartum, & ſextum, quae ſquallebant camporum in morem (quemadmodum in Tabula Horti Ichnographica in aes tunc temporis inciſa apparet D. E. G.) in Areolas parallelogrammas diſtinxi, Buxis circumſcriptas, aliorum ad inſtar, quae ibidem ſub B. C. repraeſentantur. Tandem quotannis Vere, & Aeſtate Plantas Officinales Studioſis demonſtravi, & varia obſervata adnotavi, quibus *Catalogum Michelianum* Appendice ſupplere poſſem.

Illuxit tandem fauſtiſſimus Societati dies VI. Iul. MDCCXXXIX. quo FRANCISCI Caeſaris Invictiſſimi Paternus in Optimas quaſque Diſciplinas Animus, Gratioſiſſimo Diplomate Societatem Botanicam ab interitu quodadmodo vindicavit, & Auguſta Munificentia erexit. Clementiſſimo ſiquidem Patrocinio eam nobilitare dignatus eſt; Horti huius Caeſarei curam, annua dote CCC. Aureorum, ipſi commiſit; & praeclarum munus demandavit conſcribendae Hiſtoriae Naturalis Etruriae ſuae.

Tantis itaque Auſpiciis recreata Societas, alacrius in Horti ſibi commiſſi curam incubuit, & ut Plantas ſu-

perioribus Annis deperditas ſuppleret, mihi iniunxit Autumno A. MDCCXLII. ut Etruriam Maritimam perluſtrarem, & non tantum Plantas in Horti uſum perquirerem; ſed & in commentaria referrem quaecumque ad illuſtrandam Naturalem Etruriae Hiſtoriam opportuna obiter obſervare contigiſſet. Acceſſerunt Benigna Iuſſa Viri Ampliſſimi Nobiliſſimique *Emmanuelis* Comitis *de Richecourt* S. C. M. a Sanctioribus & Etruſci Regiminis Conſiliis, Regiorum Vectigalium Praeſidis &c., qui me voluit una eademque opera inveſtigare, atque examinare plurima & varia Metalla, quae in illis Regionibus Medio Aevo effodiebantur. Duorum itaque Menſium ſpatio, qua maiore potui diligentia, peragravi univerſas fere Provincias Piſanam, Liburnenſem, Volaterranam, & Maſſae Veternenſis. Pari conſilio perluſtravi Menſe Octobri Anni inſequentis Alpes Bargenſes, Lucenſes, & Apuanas, ac Provinciam Petraſanctanam, non Plantis tantum, ſed & Metallis, ac Lapidicinis celebratiſſimis refertam. Menſe tandem Martio A. MDCCXLV. a ſuperius laudato Patrono meo Summo D. Comite *de Richecourt* iuſſus ſum inviſere, & accurate examinare Aluminis Fodinas quae in Agro Montisrotundi prope Maſſam Veternenſem paulo pridem recluſae fuerant. Tribus hiſce Peregrinationibus non tantum Plantas plurimas in Hortum intuli; ſed & innumera ferme Phyſica Cimelia mecum reportavi. Ut autem pro virili ſymbolam ad illuſtrandam Etruriae Naturalem Hiſtoriam conferrem; praeter Deſcriptiones, & obſervata circa uſum Metallorum, conſcripſi Hodoeporica, Phyſicis, Medicis, Antiquariis, & Hiſtoricis obſervationibus referta, & olim fortaſſe edenda, quorum ideam exhibui in Praefatione ad Tomum II. *Epiſtolarum Clarorum Belgarum ad Antonium Magliabechium nonnulloſque alios* (97).

Aca-

(97) Prodiit Florentiae A. 1745. in 8.

Academicas Exercitationes quod adtinet; d. XXXI. Aug. A. MDCCXL. *Ioſeph M. Xaverius Bertinius* Med. D. in Conſeſſu Societatis perlegit Hiſtoriam ſectionis Cadaveris *Franciſci* Marchionis *Puccii*, cuius epitome edita deinde fuit in *Novis Litterariis Florentinis* (98); in alio autem Publico frequentiſſimo Conſeſſu habito d. .. Sept. MDCCXLIV. in Schola Magna Lycaei Florentini, perlegit elegantiſſimam Diſſertationem *de Hydrargyri uſu in Medicina*, quam deinde Typis evulgavit (99). Tandem *Io. Dom. Civininius* Med. D Aeſtate Anni inſequentis, in alio Conſeſſu recitavit Hiſtoriam ſectionis Cadaveris Feminae cuiusdam, in quo tumor inſignis cerebriformis in Ovario dextro repertus fuerat.

A. MDCCXLV. novae Leges ſancitae fuere, in quas iurarunt Socii; & *Antonio Niccolinio* Praeſidi, qui ſponte abdicavit, ſuffectus fuit *Io. Gualbertus Franceſchius* Patr. Flor.

Studioſorum interea commoditati ego inſerviens, & Horti nitori, ac utilitati proſpiciens, Plantas univerſas humi conſitas in Areolis ſex Spatiorum B. C D. E. F. G. iuxta Tournefortianarum Claſſium ſeriem diſtribuere orſus ſum, methodo in Horti deſcriptione inferius adnotanda; opportunis locis *Hippocaſtanos*, & *Aceres Platanoides* interſerens, ut Plantis ſubiectis, & exhilioribus, Solis ardores melius defenderent. Bibliothecae demum Pub. Magliabechianae Praefectura, & creſcentes quotidie Clinicae occupationes ocium mihi ad accuratam, aſſiduamque Horti Cuſtodiam ademerunt, & Botanicis Peregrinationibus vacare amplius non permiſerunt, pedem Urbe efferre prohibentes. Acceſſerunt aliae quaedam cauſae, quae a ſuſcepto munere abſtinendum mihi eſſe monuere; quapropter honeſtam miſſionem a Societate poſtulavi Aeſtate

A.

(98) Fog. 38. de 16. Sett. 1740.

(99) *Dell' uſo eſterno, e interno del Mercurio: Diſcorſo di Giuſeppe Maria Saverio Bertini Fiorentino. In Firenze* 1744. in quarto.

A. MDCCXLV., & vix Maio inſequenti obtinui, meum in locum ſuffecto *Xaverio Ferdinando Manettio* Med. D., qui Autumno A. MDCCXLV. Botanicum Iter egerat per Provinciam Mugellanam, & aliud egit Autumno inſequentis Anni per Alpes Vallisumbroſae, Camalduli, Alverniae, Montis Acuti, perque Provincias Peruſinam, Cortonenſem, & Arretinam; tandem A MDCCXLVII. *Catalogum* edidit *Seminum Plantarum* quarumdam *Horti huius, cum exteris Botanicae Cultoribus commutandorum* (100).

Ut finem huic nimis fortaſſe longae Hiſtoriae imponam, ſubiungenda eſt brevis deſcriptio Horti ipſius, quam illuſtrabit adnexa Tabula Ichnographica; Scenographia item Horti univerſi, expreſſa (non tamen ſatis feliciter) in fronte Praefationis huius; & Scenographia Inſulae in centro Horti ſitae, conſpicua in fronte Catalogi Micheliani.

Univerſa igitur Horti planities, figurae ferme quadratae, in octo Spatia dividitur, & octogonam amplamque in medio Inſulam A habet Piſcina pariter octogona circumſcriptam, & proceris Platanis, Cupreſſiſque obumbratam. Amoeniſſima Ambulacra preſſis tonſiſque *Buxis*, & Fictilibus *Mala Limonia*, *Aurantia*, aliaque Exotica Arbuſcula ſubſtinentibus ornata; Pergulae item *Laurocerasis*, *Myrtis*, aliiſque perpetua fronde virentibus Plantis contextae Spatia diſtinguunt. Spatium quodlibet in Areolas plures dividitur plerumque parallelogrammas, margine lapideo, vel Buxis circumſcriptas, & intervallis, ſeu ſemitis diſtinctas. In marginis fronte inſculptus eſt numerus, quo Areola ipſa a ceteris eiusdem Spatii differt: ſingulae vero Areolae octo plerumque diverſis Plantis conſitae ſunt, peculiari numero

(100) *Catalogus Plantarum nonnullarum Horti Academiae Phyſico-Botanicae Florentinae, quarum ſem na hoc Anno* 1747. *ad publicam utilitatem collecta, exteris Botanicae Cultoribus in commercium exponuntur, ut totidem novis, ac exoticis permutentur, a Xaverio Manetti Medicinae, & Botanices Profeſſore, eiusdemque Horti Cuſtode*. In f. expanſo.

mero margini inſculpto indicatis. Ipſa inter ſe Spatia ſitu diſtinguuntur; Primum ſcilicet Occidentale inferius *B.* Plantis conſitum Claſſis Tournefortianae I. II. & III. Secundum Occidentale ſuperius *C.* Plantis Cl. IV. V. & partim VI. ornatum: Tertium Boreale dextrum *D.* Plantis Cl. VI. reliquis, & Cl. VII. conſitum: Quartum Boreale ſiniſtrum *E.* Plantis Cl. VIII. IX. X., & XI. deſtinatum: Quintum Orientale ſuperius *F.* Plantis Cl. XII. XIII. & XIV. replendum; Sextum Orientale inferius *G.* Plantas Cl. XV. XVI & Graminifolias, eorumque affines expectat: Tandem Septimum Meridionale dextrum *H*, & Octavum meridionale ſiniſtrum *I.* Arboribus & Fruticibus in quincuncem diſpoſitis conſita ſunt. Quatuor Horti Anguli Silvulas (7) *Ilicibus*, *Lauris*, ſimilibuſque Arboribus conſtantes, & Plantis Alpinis, Frigidarumque Regionum propriis deſtinatas habent. Horti Parietes *Malis Aurantiis*, *Citreis*, *Limoniis*, aliiſque Pomiferis Plantis; ſcandentibus item, ac praeſertim *Vite quinquefolia Canadenſi*, *Periplocis*, & *Clematitibus* variis veſtiuntur. Iuxta Occidentalem Parietem fluit largus ac perennis Aquae Rivus (4) a Mynione deductus, qui Piſcinam uberi proventu ſupplet, & Plantis irrigandis inſervit. In interiori & exteriori Piſcinae margine, quemadmodum & in ſubſelliis ſecus Rivum (4) & Borealem Parietem (5) ad MCC. Vaſa Fictilia digeſta ſunt peculiaribus numeris notata, variiſque Plantis conſita, praeter alia plurima & maiora ſecus Ambulacra, perque Inſulae ſolum ſparſa. Tandem in Inſulae, totiuſque Horti centro *A.* Fons eſt perennis, quem circum Plantae plures Paluſtres in Fictilibus non perforatis diſpoſitae ſunt. Numerus 1. Maiorem, N. 3. minorem Horti Portam indicat; 2. Cuſtodis domicilium, 8. Seminarium, quod olim *Maliis Citriis* conſitum erat. In extremitate Ambulacri 5. ſitum eſt Hibernaculum nimis amplum, adeoque non ſatis tepidum.

Iis

Iis praemiſſis, quae ad Horti hiſtoriam pertinent, aliqua modo ſubnectenda ſunt ad Michelianum hunc Librum ſpectantia. Prima eius pars, Catalogus ſcilicet Plantarum quae in hoc Horto colebantur A. MDCCXXXVI a *Michelio* conſcriptus, iam ab A. MDCCXXXIX. typis expreſſa iacet. En vobis, Rei Herbariae Studioſi, unam e magno Naufragio Tabulam, en Vobis, opuſculum quod Cl. Auctor praepropera heu! nimis morte interceptus abſolvere non potuit. Quum enim quotidie immenſis, & maioris momenti Operibus inſudaret, ut Publico prodeſſent quae privatus invenerat, & ut fidem Orbi Litterario datam perſolveret, in Aeſtatem inſequentem diſtulerat obſervationes plurimas, ſine quibus Catalogus hicce perfici non poterat. Hoc Vos ſcire oportuit, ut aequius iudicium ferre poſſitis de Viro Optimo, cui Urbs noſtra, & Reſp. Litteraria univerſa plurimum debent.

Hoc Ego Opuſculum ad editionem parare iuſſus a Societate Botanica, perpaucis tunc Libris inſtructus, & Clinicae Studiis, ac Bibliothecae Magliabechianae cura diſtractus, operam omnem impendi, ut minus ſquallens, minuſque incomptum in publicum prodiret. Subſecivis itaque horis lacunas plures, quibus antigraphon ſcatebat, complere conatus ſum, inſtitutis, continuatiſque iisdem obſervationibus, quas memineram Immortalem *Michelium* ſibimet propoſuiſſe perficiendas. Nomina item CL. circiter ex iis Plantis, quibus in ultimo ſuo Itinere per Venetam potiſſimum Ditionem inſtituto collectis Hortum ditaverat idem Praeceptor meus Amantiſſimus, ſuis locis ſubinde inſervi; ac nonnullas rariores Plantas deſcripſi, & in aes incidi curavi. Commodis denique Tyronum inſerviens, adieci nomina in Officinis Pharmaceuticis, & apud Vulgus uſitatiora. Conſului potiſſimum Opus Botanicum Celebris *Caeſalpini*, qui Etruſcas Plantas in natali ſede a

ſe

ſe obſervatas graphice deſcribit, multa ad Philologiam & Medicinam pertinentia eleganter diſcutit; Plantas a *Dioſcoride*, ceteriſque Veteribus Botanicis memoratas illuſtrat; tandem nomina in Officinis noſtris adhuc dum trita ſubnectit. *Antidotarium Florentinum*, & *Petri Andreae Matthioli Commentaria in Dioſcoridem* Edit. Italic. Valgriſ. in f. cum magnis figuris, quae Pharmacopoeorum noſtrorum manibus teruntur, evolvenda mihi neceſſario fuere, ut ſuis Plantis manca illa, & vaga nomina adiungerem.

Haec autem nomina (lubens fateor) fortaſſe non omnino propria nonnullis Plantis erunt, in quibus praeſertim minutas, at conſtantes, & aeternas differentias *Michelius*, ea qua praeditus erat oculorum acie, obſervavit. Huic incommodo mederi non poterimus, niſi quando, magno Reip. Litterariae emolumento, edita ſint reliqua Micheliana Opera Poſtuma, in quibus Vir ille Eximius, inter cetera, Plantas a *Caeſalpino*, & reliquis Italis Botanicis deſcriptas illuſtrare conatus eſt, diuturna obſervatione, & ſedula natalis loci inſpectione. Interim frui tuto poteſtis hoc qualicumque labore in eum tantum finem a me ſuſcepto, ut Plantas indicarem, quarum frequentior eſt, aut eſſe poteſt uſus in Medicina: Repetita ſiquidem obſervatione compertum eſt minutas haſce, & technicas differentias, parum aut nihil mutare vires Medicas, quae plerumque aequales ſunt in omnibus fere Speciebus Generis alicuius Plantarum.

Reliqua Officinalia, & Communia nomina, ex variis Scriptoribus decerpta, ſi cui minus congrua videantur, & pluribus toto genere diverſis Plantis communia, is non fidem, diligentiamque meam repraehendat, ſed potius Scriptorum incuriam, qui fecundam minus, & minus conſtantem Naturam exiſtimantes, non adeo ſolliciti fuere in exacta Plantarum ab ipſis obſer-

vatarum deſcriptione conficienda, inſignes quasdam differentias culturae varietati, & Naturae oſcitantiae tribuentes. Altera, & potiſſima ratio eſt, quod iis temporibus, quibus reviviſcere Bonae Artes coeperunt, Clariſſimi Rei Medicae & Herbariae Scriptores in eo potiſſimum inſudarunt, ut Plantas circiter ſeptingentas ab *Hippocrate*, *Theophraſto*, *Galeno*, *Dioſcoride*, *Plinio*, ceteriſque veteribus Botanicis nomine plerumque tenus deſcriptas, ſeu potius adumbratas, pervestigarent, haſque ſe reperire poſſe putarent in ipſa Europa, & eius praeſertim regionibus, quae nullam ſoli, vel Coeli temperiei ſimilitudinem habent cum locis, in quibus priſci Materiae Medicae Deſcriptores Medicinam fecerunt, vel peregrinati ſunt. Quam recte ex voto res haec illis ceſſerit, ignorare non poteſt quicumque Celebriorum Botanicorum, qui Saec. XV. XVI. & XVII. inclaruere, ſcripta pervolverit. Hinc acres illae, & ingloriae diſceptationes magno Medicinae detrimento ſubortae ſunt, ſingulis toto Caelo diverſas Plantas pingentibus, & ſingulis illas quas pingunt, veras, genuinas, & legitimas *Dioſcoridis* oſtentantibus. Tertiam, & potiſſimam ambiguitatis huius cauſam eſſe puto, quod Veteres illi Scriptores in cenſum familiamque Vocabulorum Medicorum aſſumpſerunt vaga quaedam, & abſurda nomina ab imperitis Agricolis, Mulierculiſque ſuperſtitioſis temere impoſita.

Fateor quidem in his congerendis aptandiſque, moleſtiſſimi laboris pertaeſum fuiſſe me, praeſertim aliis curis diſtractum; propoſitum tamen urgere placuit eo potiſſimum nomine, ut oſtenderem Rei Medicae Candidatis, quantopere neceſſarium ſit Plantas nominibus technicis, propriiſque addiſcere, & aequivoca illa atque abſurda nomina, maiore Generis Humani commodo, oblivioni tradere. Verum Cl. Praeceptoris Scripta interpolare, & pannum purpurae adſuere relligio

mihi

mihi fuit; quapropter ea quae ipſe adieci aſteriſco diſtinguenda curavi.

Unum adhuc monendi ſuperſunt Aequi Lectores, quod nempe ſi videant *Michelium* in conficiendo Catalogo hoc, exactiſſimas Clarorum Botanicorum recentiorum, *Vaillantii* praeſertim, *Boerahavii*, ac *Dillenii* obſervationes ſequutum, in nonnullis Plantis deſcribendis a novis eorumdem Methodis diſceſſiſſe, & vetuſtiora *Tournefortii* nomina uſurpaſſe, id non *Michelii* inconſtantia quadam admiſſum putent, vel quod ipſe parvi fecerit labores Doctiſſimorum Virorum, quibus plurimum ſe debere lubens fatebatur; ſed potius properandi ſtudio tribuant, ac ſpei cuidam ultimae manus operi admovendae. Ego autem de iis variandis non adeo ſollicitus fui, tum ut quam minima mutatio in antigrapho fieret; tum etiam quia non plane tunc memineram, an aliquid ſuper his peculiariter obſervaſſet ac adnotaſſet *Michelius* in reliquis ſuis Operibus, in quibus characteres etiam Novorum quorumdam Generum Plantarum in hoc Catalogo ſubinde conſtitutorum graphice deſcripſerat; quemadmodum in *Appendice* fuſius adnotavi.

Quum interea A. MDCCXXXIX. *Michelii* univerſam Phyſicam ſupellectilem, Bibliothecam, & Manuſcripta coëmerim, ac evolvere inceperim, facile animadverti Catalogum hunc Michelianum, typis paulo pridem deſcriptum, mendis nonnullis ſcatere, verituſque ſum ne macie ſua Lectoribus parum ſeſe commendaret, & Auctore ſuo minus dignum videretur. Quapropter recenſendum, & rurſus ad incudem revocandum ratus, *Appendicem* ei attexere conſtitui A. MDCCXL., qua vulnuſcula ſanarem, & inopiam ſupplerem; & qua, fateor, ſperabam poſſe me ſpecimen aliquod dare profectus, quem habueram in Rei Herbariae ſtudiis *Michelio* duce per octo Annos excultis. Obſtitit tamen votis

§ § 2 meis

meis dira Arni Inundatio, quae Florentiae contigit d. III. Decemb. eiusdem Anni, & Bibliothecam meam miſere vaſtavit, quemadmodum in Diſſertatiuncula de *Ephemeris* (101) narravi: corrupit ſiquidem Sceleta varia Plantarum accuratius examinanda, & Schedas plurimas, in quibus Vere & Aeſtate praegreſſa, aſſiduo labore, adnotaveram nomina, deſcriptiones, & analyſes microſcopicas aliarum Plantarum. Acceſſerunt plures aliae cauſae, quibus *Appendicis* editionem ad hunc uſque diem differre coactus ſum, & quas fuſius expoſui in Praefationibus ad Tom. I. & II. *Epiſtolarum Clarorum Belgarum ad Magliabechium nonnulloſque alios* (102) ut Crambem recoquere opus non ſit. Utrum vero officio & propoſito meo fecerim ſatis, iudicium eſto penes Benevolos Lectores, quos ut auſus meos aequi bonique faciant etiam atque etiam rogatos velim.

(101) *Lettera di Giovanni Targioni Medico del Collegio di Firenze, e Profeſſor Pubblico di Bottanica, all' Illuſtriſſimo Sig. Barone Gio. Batiſta de Baſſand Archiatro dell' Altezza Reale del Sereniſſimo Franceſco III. Duca di Lorena e Bar, Granduca di Toſcana, Re di Geruſalemme &c. &c. ſopra una numeroſiſſima ſpecie di Farfalle vedutaſi in Firenze ſulla metà di Luglio 1741. In Firenze 1741. nella nuova Stamperia di Gio. Batiſta Bruſcagli e Compagni.* In 4.

(102) Prodierunt Florentiae A. 1745. ex Typographio Io. Bapt. Zannonii ad inſigne Apollinis in 8.

DISCORSO
DI ANTONIO COCCHI
MUGELLANO
SOPRA L'ISTORIA NATURALE
LETTO DA LUI PUBLICAMENTE IN FIRENZE IN OCCASIONE DEL RISTABILIMENTO
DELLA
SOCIETÀ BOTANICA FIORENTINA
IL DI' II. DI SETTEMBRE MDCCXXXIV.



OBILE ed antica queſtione fu ſempremai ed è tuttavia tra' filoſofi, ſe l' uomo per la ſola ſua naturale inclinazione ſia portato a bramare la compagnia degli altri uomini, ovvero ſe ſolamente di ſe medeſimo innamorato ed altrui invidioſo e moleſto goda della ſolitudine e della contenzione e della rapina. Io confeſso che eſsendo avvezzo a ſciogliere i dubbi che mi ſi preſentano colla ſperimentale oſservazione, mi ſento coſtretto a riconoſcere nel cuore umano un certo ſenſo di benevolenza dal quale dipende il diletto che noi veggiamo che la maggior parte ha nel giovare altrui ove il proprio intereſse non s' inter-

ter-

terponga. Dal vigore e dalla delicatezza del qual ſenſo interno di ſpontanea benevolenza par che miſurare ſi debbano e non d' altronde i piccoli ed i grandi eroi.

Un illuſtre argomento di queſta natural forza che ſenz' altro motivo conduce l' uomo a procurare il bene di molti da lui nemmen conoſciuti, e la cui gratitudine ei non iſpera talora, ſicuramente può trarre il mondo da queſt' iſteſsa voſtra adunanza, poichè non per altro avete voi voluto celebrare con eſſa queſto giorno ed a me comandato avete che da queſto auguſto luogo io parli, ſe non per render paleſe a tutti l' eroica intenzione voſtra di formare una Società filoſofica per ampliare ed accreſcere e ſpargere quanto ſi poſſano comunemente le più recondite verità delle ſcienze che an per oggetto la contemplazione dell' eterne immutabili leggi della natura. E poichè queſto nobil penſiero nato in voi dal ſolo natural genio benefico può aver molte utiliſſime conſeguenze e per voi medeſimi e per tutta la città noſtra, non dee parere inopportuno il conſiderarle ora alquanto, non ſolo acciocchè voi dagli ſtimoli della prudenza incitati con maggiore alacrità conduciate a fine una ſi nobile impreſa, ma acciocchè eſpoſtane alla rifleſſione d' ognuno l' importanza, più facilmente da voi s' ottenga la comune approvazione, la quale ſuol eſſere più d' ogni altro premio bramata dall' anime grandi.

Per ben comprendere quanta influenza aver poſsa nella publica felicità queſta voſtra generoſa riſoluzione, pare neceſſario primieramente il riflettere che gli uomini colla ſola natural forza della loro mente non ſono abili a far lor pro od a fuggir lor danno, ſenza l' aiuto de' materiali ſtrumenti non ſolo del corpo loro, ma degl' innumerabili altri corpi che gli circondano. Le potenze poi e le operazioni dell' uno ſopra l' altro di tutti queſti corpi ubbidiſcono con maraviglioſa coſtanza ed eſattezza alle medeſime leggi ſempre invariabili, le quali perciò an dovuto gli uomini con diligentiſſimo eſame intraprendere ad indagare. Ed eſſendo i ſenſi noſtri deboli ed

ottuſi

ottuſi e la compoſizione della materia infinitamente varia, è ſtato neceſſario il raccogliere iſtoricamente le oſſervazioni e le ſcoperte particolari ſopra ciaſcun differente genere di corpi, onde reſulta l' eſperienza, ſulla quale tutte l' arti noſtre ſono fondate.

Dalla multiplicità e dall' eccellenza delle quali arti dependono principalmente i comodi tutti e le delizie della vita, e quella beatitudine di cui l' uomo s' oſserva eſſer tanto bramoſo, e che conſiſte nella facoltà di eſequire buona parte delle ſue voglie. Onde è manifeſto che le naturali e ſcientifiche ricerche le quali diſcuoprono le neceſſarie affezioni della materia e le forze di ciaſchedun corpo contribuiſcono più di tutti gli ſtudi all' umana felicità, e che moltiſſime e publiche e private ſventure non d' altronde bene ſpeſso an potuto aver origine che dall' ignoranza di qualche fiſica verità. E ſiccome le combinazioni delle coſe ſono infinite alcuna verità naturale peravventura non vi è cotanto minuta e particolare che d' innumerabili prodigioſe conſeguenze non poſſa eſſer feconda.

Chi mai per eſempio creduto avrebbe che il non oſſervare una per altro faciliſſima a conoſcerſi ſemplice e coſtante proprietà d' una pietra che in moltiſſimi luoghi ſi truova comunemente, e di cui alcune altre forze più patenti erano ſtate con diligenza grande ſcoperte e celebrate doveſſe privare gli antichi del commercio colle più remote nazioni e della ſperimental cognizione della grandezza e figura e parti ed abitanti della terra, onde i loro ſcritti ripieni ſono di tante false e ridicole relazioni ed ipoteſi favoloſe? Ognun s' accorge che io intendo di quella inſigne efficacia della calamita, per cui ella dimoſtra il ſettentrione e 'l mezzogiorno, e che eſſendo ſtata felicemente oſſervata da' moderni diè loro l' ardire di metterſi per l' ampio mare aperto ond' ei poterono al più remoto termine dell' Affrica navigando intorno riconoſcere i lidi orientali dell' Aſia di così dubbia fama, e dirigendo a ponente il lor corſo poterono ritrovare le affatto ignote terre d' America. Le

conſe-

conſeguenze delle quali navigazioni come ancora di quelle ai lidi ſettentrionali dell' iſteſſa noſtra Europa che prima erano cotanto oſcuri voi ben le ſapete, e forſe non paſſa giorno che qualche godimento o ne' cibi o nelle veſti o nella varia ſupellettile non ne ſentiate.

Pernicioſa ſembra eſſere ſtata in ogni tempo al genere umano la guerra, ma pure chi ha biſogno di difenderſi con eſſa, di vincere e d' eſpugnare, e d' acquiſtarſi con ſi efficace mezzo la pace, non potrà non riconoſcere l' immenſo vantaggio che all' arte militare ha prodotto l' uſo di quella polvere di potentiſſima eſploſione che quel Tedeſco contemplativo come dicono vi applicò il primo, e non potrà s' io non m' inganno ſenza qualche maraviglia reflettere come una così importante invenzione aver poteſſe origine da una particolare eſperienza che due ſecoli avanti innocentemente e per ſuo diletto fece ſopra le facoltà del nitro il ſommo naturaliſta de' ſecoli barbari il Franceſcano Bacone, imitando coll' accendere quella ſua nota meſcolanza nell' aria aperta l' effetto del tuono e del fulmine.

E chi può mai ridire tutte l' utilità di quell' unica e belliſſima oſſervazione del moto circolare del ſangue negli animali? Del qual moto qualche confuſa idea ſembra che aveſſero ed Empedocle ed Ippocrate, come ſi vede in quell' inſigne frammento che del filoſofico poema del primo ci ha conſervato Ariſtotele, ed incontrandoſene alcuni indizi negli ſcritti del ſecondo. E benchè molto più chiaramente l' indovinaſſero in parte ſervendoſi più che d' altro del loro ingegno e Michele Villanovano, e il Colombo, e il Ceſalpino, tutti però inutilmente ne parlarono finchè non ne diede al mondo intera ſicurezza l' Harveo ſervendoſi delle ſezioni de' cadaveri e de' vivi animali, e dell' oſſervazioni degl' inſetti col microſcopio, e portandoſi in quel ſuo ingegnoſo libro da ſagace ed accuratiſſimo naturaliſta. La quale ſcoperta ha tra gli altri quel ſi grand' effetto prodotto ch' ella ci ha coſtituiti abili a diſtinguere tutto ciò

che

che di buono e di vero ſi ritruova nelle memorie di ben duemil' anni ſopra la medicina dal molto falſo e fantaſtico che inſieme vi fu meſcolato. Onde al preſente rigettando tutto ciò che ne' libri degli antichi riſguarda la ſpiegazione de' fenomeni del corpo umano, che per mancanza di quella ſola notizia totalmente è fallace, poſſono i dotti e ſavi medici ritrarre ed uſare le iſtoriche oſſervazioni ſul corſo de' mali e ſugli effetti de' rimedi delle quali oſſervazioni moltiſſime pur ci ſono ſtate fin da' ſecoli più remoti da quei buoni e valenti uomini traſmeſſe.

Degna altresi di ſomma lode fu la diligenza uſata principalmente dal noſtro Redi ſulla generazione degl' inſetti la quale ha ſpogliato il mondo di quella ridicola e vaniſſima opinione, che i corpi organici dell' innumerabili razze di quelli animali tanto più maraviglioſi quanto più ſon minuti non ſeguitaſsero come gli altri le loro ſpecie, ma che da poca e inanimata materia ſenza veruna coſtante legge con iſtrana mutazione ſi formaſſero, e da un non inteſo moto che putredine chiamavano vita prendeſſero. Opinione che oltre all' eſſere aſſurda teneva ognuno nel continuo diſpiacere di credere impoſſibile il difendere o i cibi o le veſti od altre coſe fatte in uman uſo dall' invaſione di quelle minutiſſime beſtie imaginate di ſpontaneo naſcimento, e i medici ſanno di quanti altri errori nell' eſercizio della lor arte ell' era cagione. E tanto era difficile il non laſciarſi preoccupare o per ſemplicità o per inavvertenza da queſta allor comune credenza ch' io non ſo che alcuno anco eccellente filoſofo fuori di Pitagora s' accorgeſſe mai della ſua falſità, onde non ſenza compaſſione s' oſſerva che non ne furono eſenti nemmen l' Harveo ne il Galileo che fur del mondo sì gran maliſcalchi.

Uopo non è ch' io parli di quell' altra pur ſingolare oſſervazion naturale che nobilita molto la noſtra patria ov' ella per la prima volta fu fatta, io intendo la ſcoperta della gravità dell' aria, poichè tali ne ſono ſtate le conſeguenze,

§ § § *che*

chè per mezzo di eſſa anno gli uomini appreſa l' arte non ſolamente d' intendere ma in molti caſi ancora di regolare i moti occulti che ſi fanno dentro la noſtra atmosfera. Che ſe all' utilità d' alcune poche ſciolte e nuove cognizioni s' aggiunga quella che producono le diverſe ſerie di eſſe innumerabili e coll' eſperienza di più ſecoli ſtabilite onde reſultano le varie parti della fiſica, voi ben vedete che nulla forſe può tanto meritare la publica gratitudine quanto il promovere e coltivare le ſcienze naturali. Il che facendoſi vengono per neceſſità a renderſi comuni le matematiche, la mecanica, l' aſtronomia, l' iſtoria naturale, l' anatomia, e la chimica, e molti altri belliſſimi ſtudi, nella non curanza de' quali principalmente conſiſte la barbarie delle nazioni.

Ed al contrario ove i lumi di queſte ſcienze diſcendono fino agli artiſti, quivi neceſſario è che ſi trovi l' abbondanza la magnificenza e l' erudito luſſo e che vi ſi creino le ricchezze di tutti gli altri beni producitrici. Io parlo de' maeſtri principali dell' arti più ingegnoſe, non della ſervil condizione de' ſubalterni ed infimi operarii, i quali dovendo ſempre ciecamente altrui ubbidire, la ſtupidità e l' ignoranza, come oſſervò leggiadramente Omero, è a loro dono di Giove.

Ma ſe all' eccellenza di tutte l' arti contribuiſcono principalmente le cognizioni naturali, come ne ha moſtrato l' eſperienza in queſti ultimi ſecoli, la medicina che tralle arti tiene ſenza contraſto il primo luogo, deve onninamente a queſta ſorta di ſtudi quella chiariſſima luce nella quale ella ſi trova al preſente collocata, nulla valendo in contrario l' eſempio di quei che pur medici ſono e che tutto giorno introducono nel ſangue de' miſeri mortali tante ſtraniſſime materie, non ſolo ſenza ſapere quali mutazioni elle debbano ſoffrire ed a quali termini pervenire nel lungo e da lor non inteſo viaggio dei canali del corpo umano, ma ſenza averle nemmeno mai vedute ne lettane la minima deſcrizione negli ſtorici naturali, non che indagatane la natura colle proprie ricerche.

Quan-

Quando poi oltre agli artefici e a' medici le naturali notizie pervengono, come non è impoſſibile, fino alle menti de' grandi, a' quali la fortuna ſuol porre in mano il governo de' popoli, è manifeſto che' ei ſanno allora molto meglio giudicare della publica felicità ed opulenza, e ſtabilire i mezzi di mantener l' erario e il commercio, e poſſono per ſe medeſimi più comodamente fare le prudenti oſſervazioni ne' loro viaggi, e dirigere con maggiore applauſo la loro magnificenza, difendendoſi così dalla ſazietà e dalla noia, per mezzo della rara e ſommamente ſtimabile arte del godere. Nè ſincero godimento alcuno par che eſſer vi poſſa per chi è privo del bene dell' intelletto, cioè della facoltà di conoſcere il vero.

E perchè la verità e l' aſſurdità di qualunque coſa propoſta ſi conoſce dalla coerenza o contradizione colle precedenti certe e ſicure notizie, nè nulla vi è di più certo tra gli uomini dell' eſperienza, è manifeſto che è più idoneo a diſcoprire le fallacie altrui e perciò meno ſoggetto all' inganno e all' errore chiunque di maggior numero di ſperimentali verità è fornito, e queſti ſe ben ſi conſidera altri eſſer non può che l' ingegnoſo naturaliſta. Quindi è, che in quelle nazioni ov' è più ſcarſa e più negletta la natural ſapienza, quivi più frequenti s' incontrano anco in queſto lucidiſſimo ſecolo gli eſempi di quelle vergognoſe e ſventurate illuſioni che produr ſuole non ſolamente nel piccolo e ſtolido volgo, ma tra i nobili ancora, la vanità de' cabaliſti, degli aſtrologi, degli alchimiſti, de' cavateſori, de' ciarlatani, e ſe altri vi ſono ſimili pernicioſi impoſtori.

Meno dannoſa è per lo più ma non però ſenza qualche vergogna e ſenza biaſimo la ſemplicità di coloro che pieni d' errori popolari dan fede a tutte le favole di cui abondano i libri de' filoſofi plebei, che ad ogn' ora propongono eſperimenti che non ſuccedono, del qual vizio infetti ſono molti iſtorici ed oratori e poeti per altro aſſai riguardevoli, e ſolamente liberi ne ſono coloro che qualche perizia anno della

vera naturale iſtoria, e della ſperimentale filoſofia. Della quale altresì biſogna eſſere affatto privo per laſciarſi vincere dagl' ingannevoli diſcorſi d' alcuni tanto più pericoloſi quanto ei ſon propagati con qualche apparenza d' ingegno e di dottrina, che ſpargono negli animi de' giovani ſemi di diſprezzo per gli ſtudi più belli.

Creda pure altri che inutil ſia lo ſtudio del Greco nol crederà già il dotto naturaliſta il quale non ſolamente vede che quaſi tutti i nomi che s' adoprano nelle ſcienze anco i modernamente impoſti ſono di quella lingua, ma ſi è di più accorto che dall' eſatta e critica intelligenza de' paſſi difficili che s' incontrano ne' più antichi oſſervatori che Greci furono, infinite belliſſime notizie dell' uſo d' alcune materie ci ſono ſtate ſcoperte dal Colonna, dal Salmaſio, dal Raio e da alcuni altri, e molte ancora vi reſtano a ſchiarirſi, ſenza le quali la vecchia tradizione nell' iſtoria naturale di quel popolo ſi glorioſo e ſi grande ſarebbe ſtata interrotta.

E come non potrà maravigliarſi il fiſico ſperimentatore che un ſimil fato d' eſſer predicata inutile da alcuni de' noſtri creduti ſapienti abbia avuto l' analiſi, quale ella oggigiorno per tutto s' adopra per mezzo dell' arimmetica univerſale i cui metodi anno prodotto i maraviglioſi progreſſi che l' età noſtra ha fatti nelle matematiche e nella fiſica ſopra le antiche?

Ed altri ſtudi pur vi ſono che tanto meno meritavano d' eſſere vilipeſi quanto più avevano contribuito alla fama e alla fortuna di chi gli depreſſe, e per eſſer eglino diretti alla conſervazione della ſanità e al prolungamento della vita principal fondamento dell' umana felicità. Io intendo di quegli ſtudi che coſtituiſcono la medicina, la quale non poſſo diſſimulare che tra di noi riceve non piccolo oltraggio da una ſparſa tra molti incredulità della ſua efficacia. Non voglio qui ricercare l' origine di queſta opinione, potendo ella forſe non eſſere altro nella noſtra città di parlare avida, come oſſervò

il

il noſtro iſtorico, che una mera repetizione del particolar parere d' alcuni ſpiegato con faſto d' ingegno e di lettura contra queſta a loro mal nota profeſſione. Sarebbe facile il dimoſtrare le loro fallacie ſe or foſse opportuno, poichè l' eſercizio caſtrenſe ed urbano di queſt' arte tra numeroſo popolo e principalmente ne' più inſigni ſpedali, l' apertura frequente de' cadaveri, le cognizioni anatomiche e fiſiche, la lettura de' libri antichi e moderni, e le ſcienze del moto, fanno toccar con mano la verità di queſte due propoſizioni. La prima ſi è che vi ſono alcune infermità di lor natura incurabili, di cui però l' accorgerſi al primo loro apparire è effetto della ſomma eccellenza nell' arte. La ſeconda che molte altre infermità poſsono con ſicuro metodo curarſi, e neglette e abbandonate al natural corſo ſenza verun diſcreto aiuto finiſcono per lo più nella morte o paſsano in altre peggiori od incurabili.

A queſta erronea incredulità dell' efficacia della medicina non ſi può ſperar che ſi oppongano ſe non gli amanti della naturale iſtoria e filoſofia, i quali veggono l' inſuffiſtenza delle oppoſizioni, ed inſieme conoſcono che togliendoſi queſt' arte, biſogna rinunziare al penſiero di mantenere non che di porre in piu florido ſtato le parti tutte della fiſica, dal compleſso delle quali reſulta il pregio de' medici non volgari. Io non nego che vi poſsano eſsere e matematici e filoſofi inſigni ſenza eſser medici, ma è noto altresì che finora la molto maggior parte di loro, qualunque ne ſia ſtata la cagione, o medici furono o del tutto o in parte o eſsere lo volevano.

A' ſoli naturaliſti dunque appartiene come effetto del lor metodo di ſtudiare e della multiplice lor cognizione il poſſedere quella principal parte dell' umana ſapienza che conſiſte nell' eſſer privo d' errori, evitando non ſolamente la troppo facile credulità, ma la non meno erronea troppo ritroſa diffidenza de' noſtri ſenſi e della noſtra ragione. Nè ſembra eſſer l' ultimo tra' vantaggi che la ſcienza naturale può apportare al noſtro ingegno, quella rara e perciò ſtimabiliſſima unio-

ne

ne delle critiche e delle ſcientifiche dottrine poichè non ſolo io credo che gli ſtudi che molti di voi fate con tanta lode intorno alla noſtra volgare eloquenza, della quale omai niun popolo Italico vi contraſta l' impero non poſſano ricevere alcuno oltraggio dalle fiſiche ricerche, ma ſono affatto perſuaſo che elle vi daranno materia onde congiugnere alle ſcelte parole i profondi penſieri, ed illuſtrare la voſtra Greca e Latina erudizione colle belliſſime moderne ſcoperte. Maſſime avendo l' eſperienza moſtrato che non è impoſſibile in queſto ſecolo così abondante d' aiuti per ogni ſorta di ſtudio il trapaſſare i troppo anguſti confini ne' quali erano tenuti per l' addietro molti de' grandi ingegni, cioè nell' infanzia del ſolo volgare o del Latino ſcolaſtico e ne' pochi frammenti dell' antica fiſica onde è compoſta la non più tanto celebrata filoſofia d' Epicuro, di cui non è gran tempo che alcuni erano tanto faſtoſi, e però non ſarebbe vanità il credere che dopo tanti progreſſi delle varie ſcienze poteſſe omai farſi quel fortunato inneſto d' elegante facondia colla ſublime ſapienza al quale par che indarno aſpiraſſero i vaſtiſſimi ne' tempi loro e per altro ſommamente ſtimabili ingegni d' Ariſtotele, e di Platone.

Ma perchè non baſta a render l' uomo felice la chiarezza dell' intelletto ſenza la bontà e pace del cuore conviene conſiderare alquanto ſe anco per queſto bene aver poſſano qualche efficacia le naturali cognizioni. Bene tanto ſtimabile che ad eſſo ſolo par che ſieno ſtate ſempre dirette le mire de' più ſavi filoſofi di tutti i ſecoli e di tutte le nazioni. Poichè non per altro che per ottenere la tranquillità dell' animo che è l' ultimo ſcopo della morale filoſofia tanto ſi applicarono alla fiſica gli antichiſſimi ſapienti collocando gran parte della felicità nello ſcoprire le vere cagioni delle coſe.

E certamente l' indagare quali ſieno i legami che tengono i grandiſſimi corpi degli aſtri ſempre in regolari diſtanze ed in moto uniforme per l' immenſo univerſo ed il vedere che non altra è la forza che produce l' operazioni delle mi-

nime

nime parti della materia ſopra la terra, deve rapir l' animo dello ſpettatore naturaliſta in una tranquilliſſima e dilettevole contemplazione della ſerie conneſſa ed ordinata delle cagioni ſubalterne, ed in una quieta ammirazione dell' unità e ſemplicità della cagion ſomma e primaria, la quale fu perciò dalla noſtra maggior muſa chiamata quel punto dal quale dipende il cielo e tutta la natura. Onde ne' diſpiacevoli eventi nulla può mai tanto facilmente domare il cuore umano come diſſe divinamente Omero quanto la conſiderazione della neceſſità, cioè della dependenza degli effetti dalle loro cagioni.

Quindi è che i naturaliſti per quella loro innocente abitudine d' oſſervare e d' intendere le proprietà delle coſe ſenza deteſtarle quando elle rieſcano incomode, ſono perciò i più atti di tutti gli uomini a ſoffrire pacificamente l' altrui odio, l' ira, l' invidia, la vanagloria e le altre paſſioni che vizi chiamanſi dell' umana natura. Ove al contrario coloro che il genio ſperimentale non anno e della natural filoſofia ſono affatto ignoranti, il mondo riempiono di ſatire e di querele, e colle loro chimeriche imaginazioni non d' altro parlano che di riformare le republiche, e togliendo gli abuſi cioè mutando i ſenſi e gli affetti credono che ridur potrebbono gli uomini al ſecol d' oro.

Ma conſiderando che innumerabili libri ſono ſtati ſcritti da' filoſofi per migliorare i coſtumi degli uomini inutilmente, credo che meriti la voſtra deliberazione il penſare ſe non forſe ſia meglio che voi vi propoghiate un contrario vanto a quel famoſo di Socrate e che tentiate di ricondurre la filoſofia dagli uomini al cielo, ov' è la ſua ſede più glorioſa. Certo è dall' iſtoria che alcuni di quella ſcuola ſi poco moderati furono che giunſer fino ad occupar la tirannide delle lor patrie, e ſe eſſer non ſi voglia troppo timidi amici del vero, negare non ſi potrà che per contentare la mente umana mal furono ſoſtituite alle ricerche ed oſſervazioni d' Anaſſagora e di Talete

le

le fantaſime ed i folletti di cui ſon piene le ſocratiche carte, e le tanto famoſe idee colle quali ſi confondono alcuni malamente filoſofi trattando l'ombre come coſa ſalda.

Se dunque vi può eſſere beatitudine tra i mortali ella deve principalmente conſiſtere nella quiete e perfezione del cuore e dell'intelletto, la quale non può naſcere ſe non dalla cognizione delle verità naturali. Della curioſità delle quali e delle oſſervazioni neceſſarie per acquiſtarle non dovete voi vergognarvi eſsendo nobili e grandi, poichè il ſapere non altro eſſendo che una potenza e producendo autorità, non può ſe non accreſcer nel popolo l'oſſequio e l'ammirazione verſo di voi che è il ſolo bene reale della nobiltà e della grandezza.

Ne v'importi la non curanza che alcuni in altre coſe aſſai dotti dimoſtrano delle cognizioni naturali ch'eglino ignorano, anzi godete internamente del paragone, e rammentatevi piuttoſto gli eſempi d'Aleſſandro che tant'oro profuſe per l'iſtoria degli animali, di Mitridate che tante eſperienze fece, de' Tolomei a' quali tanti bei libri degli antichi naturaliſti furono dedicati, e appreſſo i Romani voi ben ſapete di quali caſate erano quei che ſcriſſero dell'agricoltura, e le grandi cariche e la confidenza de' principi che ebbe Plinio, per non dir nulla di quell'Iuba Re di Numidia che vinto e condotto da Ceſare a Roma, negli ſtudi naturali paſsò tranquillamente la ſua avverſa fortuna, i quali ſtudi non punto gli nocquero per guadagnarſi il favore d'Auguſto e per decoroſamente ſoſtenere e traſmettere anco al figliuolo la ſua condizione reale.

Ma ſenza cercare le antiche memorie, non ha forſe la Toſcana veduto il ſuo ſovrano avo paterno del felicemente regnante GIOVANGASTONE *far le ſue delizie degli ſtudi naturali? onde tanta fama ne venne a queſta città per le grandi ſcoperte fatte co' ſuoi auſpici. E non è forſe famoſo per ſimile filoſofica magnificenza anco l'avo ſuo materno Gaſtone di Francia? Molti di voi an conoſciuto e converſato il Conte Lorenzo*

Maga-

Magalotti, e l' erudita ſua delicatezza, e la vaſta dottrina anno ammirata, il cui ſapere nelle più recondite e più minute particolarità dell' iſtoria naturale anco dell' Indie e dell' America non par che punto diminuiſſe il pregio dell' altre grandi e rare ſue qualità. Nè debbo io tacere del ſenator Filippo Buonarroti uno certamente de' maggiori uomini che prodotto abbia il noſtro paeſe, la cui perdita fatta, non ha molto, fu deplorabile a tutti per la ſapienza e probità ſua ſingolare, ma principalmente alla Società noſtra della quale ei fu uno de' fondatori e per la quale moſtrava grandiſſimo zelo approvando molto il penſiero che fin d' allora da alcuni di voi formato s' era di comprendere ne' voſtri ſtudi non ſolo la botanica ma tutta la fiſica. Voi vi ricorderete quanto egli era e perito ed amante della naturale iſtoria e quanto ſagace nel giudicare dell' altrui ipoteſi e de i racconti, nel non credere a i quali troppo buonamente, conſiſtono come diſſe quel Greco i fondamenti e gli articoli della ſapienza. La qual mia riſpettoſa menzione di sì grand' uomo io bramo che inſieme ſia un tenue monumento della mia privata venerazione del ſuo merito, e della noſtra amicizia, e ſervami d' autorità per provare che lo ſtudio delle coſe naturali non diſconviene ne alla nobile condizione ne alle occupazioni del governo e può unirſi ad una vaſtiſſima erudizione e d' iſtoria e d' antiquaria la quale ognun ſa che ei poſſedeva ſopra ogn' altro mortale.

Tra' viventi poi ſe il ſolo eſempio di molti di voi medeſimi non baſtaſſe, che adorni delle dignità più illuſtri non avete sdegnato per queſto d' eſſere aſcritti nella noſtra ſocietà, io ſaprei ſcegliere tra' più inſigni perſonaggi dell' Europa alcuni nomi famoſi non meno per l' arti del governo e della guerra che per l' iſtoria e filoſofia naturale ch' ei non ſolo amano ma interamente poſſeggono.

Dietro a ſi bella ſcorta applicando voi o nobili e virtuoſi aſcoltatori i voſtri ſenſi e 'l voſtro intelletto allo ſtudio delle coſe naturali, e congiugnendo il ſagace e ſolido ragiona-

§ § § §   *na-*

5. Solanum pomiferum fruteſcens Africanum ſpinoſum nigricans, flore Borraginis, foliis profunde laciniatis H. L. Bat. 572. * *Solanum ſpinoſum perenne arboreſcens non deſcriptum Donn. Cat. H. Flor.*

6. Solanum flore purpuraſcente, foliis parvis integris, baccis perexiguis rubris

7. Solanum tuberoſum, eſculentum Inſt. R. H. 149. * *Arachidna Theophraſti, Papas Peruanorum Cluſ.*

8. Solanum Guineenſe fructu magno inſtar Ceraſi, nigerrimo, umbellato Boerh. Ind.

9. Solanum fruticoſum bacciferum Inſt. R. H. 149. * *Strychnodendros I. B. Pſeudocapſicum Dod.*

SOLDANELLA alpina rotundifolia Inſt. R. H. 82.

SOLIDAGO paluſtris altiſſima, Salicis folio ſerrato & ſubtus incano. *Virgæ Aureæ, ſive Solidagini anguſtifoliæ affinis, Lingua Avis Dalecampii I. B.* 2. 1063. *Lingua maior Lugd.* 1037. *Conyza maxima ſerratifolia Thal. Tab. III.*

2. Eadem folio altius ſerrato, utrinque virente aut inferne dumtaxat ſubcinereo, & per baſim auriculato. *An Conſolida Paluſtris Tabern. Icon.* 555

SONCHVS lævis laciniatus latifolius Inſt. R. H. 474. * *Soncho liſcio Matth.* 526. *Cicerbita Ric. & vulgo. Sonchus lævis Offic.*

2. Sonchus aſper laciniatus, folio Dentis Leonis Inſt. R. H. 474. * *Soncho aſpero Matth.* 525. *Sonchus alia in ruderibus Cæſalp.* 511. *Sonchus aſpera Offic.* Cicerbita *vulgo*

3. Sonchus aſper non laciniatus Inſt. R. H. 474. *Sonchus quæ vulgo Cicerbita vocatur, & alicubi Creſpinulus Cæſalp.* 511. *Intybus ſylveſtris, ſeu erratica Offic.*

4. Sonchus repens, multis Hieracium maius Inſt. R. H. 474. * *An Hieracio maggiore Matth.* 808

5. Sonchus anguſtifolius maritimus Inſt. R. H. 474

SONCHVS vide CREPIS

SORBVS ſativa Inſt. R. H. 630

2. Sorbus aucuparia Inſt. R. H. 634. * *Sorbo ſalvatico Matth.* 283. *An Sorbus ſylveſtris in Alpibus Cæſalp.* 145. *Fraxinus Bubula Dod. Fraxinus aucuparia Geſn.*

SPHONDYLIVM, an maius, ſive Panax Heracleum quibusdam Inſt. R. H. 320. * *An Panace Heracleo Matth.* 783. *An Panax Herculeum vulgo a noſtris Panacea Cæſalp.* 311. *Panace Herculeo di Dioſcoride Ric.*

SPIRAEA Hyperici folio non crenato Inſt. R. H. 618

STACHYS maior Italica, foliis amplioribus undulatis

2. Stachys maior, Germanica Inſt. R. H. 186. * *Stachi falſo Matth.* 878. *An Salvia ſylveſtris a quibusdam Matriſalvia appellata Cæſalp.* 441

3. Stachys, an alba latifolia maior Barr. Obſ. 26. n. 243. Icon. 297. *Stachys Cretica latifolia Inſt. R. H.* 186. *& Voyag. du Levant. Tom. I.* 11. *Tab.* 1

4. Stachys maior latifolia, flore variegato, verticillis ſpinoſis craſſis & rarius diſpoſitis

5. Stachys maior Italica, ſpica florum tenuiſſima, flore purpureo variegato, calyculis non pungentibus

6. Stachys maior, Salviæ folio pyramidato flore dilute purpureo variegato

7. Stachys minor Italica Inſt. R. H. 186. * *Stachi Matth.* 877

8. Stachys alba anguſto Salviæ folio Barr. Icon. 279

9. Stachys incana, Salviæ folio, floribus luteis, punctis purpureis notatis

10. Stachys alpina omnium maxima, Viburni folio, flore dilute purpureo variegato

11. Stachys, quæ Galeopſis montana, Betonicæ folio anguſtiore, flore variegato Michel. H. Piſ.

STAPHYLODENDRON Inſt. R. H. 616. * *Staphilodendro Matth.* 295. *Staphylodendron Cæſalp.* 120. *Nux Veſicaria Trag.*

STATICE Inſt. R. H. 341

STOECHAS purpurea Inſt. R. H. 201. * *Stecha Matth.* 736. *Spicæ Italicæ genus ſylveſtre Stichados vulgo vocatum Cæſalp.* 459. *Stœchas Arabica & Stichas Offic.*

STRAMONIVM fructu ſpinoſo oblongo, flore albo Inſt. R. H. 119. * *Solanum ſomniferum Bellon. Solanum Manicum Col. Datura Turcarum Eyſt.*

2. Stramonium Ægyptiacum, flore pleno intus albo foris violaceo Inſt. R. H. 119

3. Stramonium ferox Inſt. R. H. 119

STYRAX folio Mali Cotonei Inſt. R. H. 598. * *Stirace Matth.* 100. *Arbore ſimile al Melo Cotogno, del quale è Gomma lo Storace Calamita Ric.* 68

SVBER latifolium perpetuo virens Inſt. R. H. 584. * *Phellos Dod.* Sughero *vulgo*

2. Suber perpetuo virens, cortice tenuiori, Cerri folio, glande maiore cylindracea obtuſa, cupula crinita H. Piſ. * *Phellodrys C. B.* Cerroſughero *vulgo*

SYLIBVM albis maculis notatum, flore purpureo Vaill. in Act. Ac. R. Sc. Ann. 1718. pag. 219. num. 1. * *Cardo Santa Maria. Herba del Latte Matth.* 702. *Cardui ſylveſtris alind genus Lac Divæ Mariæ appellatum Cæſalp.* 527

2. Sylibum non maculatum, flore purpureo Vaill. in Act. Ac. R. Sc. An. 1718. pag. 219. num. 2

SYMPHYTVM Conſolida maior, flore purpureo, quæ mas Inſt. R. H. 138. * *Conſolida maggiore da fiori porporei Matth.* 1012. *Conſolida Cæſalp.* 434. *An Conſolida maggiore Ric.*

2. Symphytum Conſolida maior, flore variegato Inſt. R. H. 138

3. Symphytum Conſolida maior, flore albo vel pallide luteo, quæ fœmina Inſt. R. H. 138. * *An Conſolida maggiore da fiori gialli, e bianchi Matth.* 1012

4. Sym-

4. Symphytum maius, tuberoſa radice Inſt. R. H. 138. * *An Conſolida altera minor Cæſalp.* 435. *Conſolida Ric. Conſolida tuberoſa vel nodoſa. Symphytum tuberoſum Offic. ut, & ſequens*

5. Symphytum, an minus, tuberoſa radice Inſt. R. H. 138

6. Symphytum Echii folio anguſtiore, radice rubra, flore luteo Inſt. R. H. 138

SYRINGA alba, ſive Philadelphus Athenæi Inſt. R. H. 617. * *Siringa Cæſalp.* 95. Salindia *vulgo*

TAMARISCVS Germanica Inſt. R. H. 661

2. Tamariſcus Narbonenſis Inſt. R. H. 661. * *Myrica Cæſalp.* 126. *Tamarix. Tamariſcus Offic.* Tamerigia *vulgo*

TAMNVS racemoſa, flore minore luteopalleſcente Inſt. R. H. 103. * *An Vite nera Matth.* 1348. *An Tamarum vulgo, aliis Ceraſiola Cæſalp.* 206. *Bryonia nigra Offic.*

TANACETVM vulgare luteum Inſt. R. H. 461. * *Tanaceto Matth.* 958. *Tanacetum Cæſalp.* 479. *Athanaſia Lac. Artemiſia Dioſcoridis Tab. Tanacetum Offic.*

2. Tanacetum foliis criſpis Inſt. R. H. 461

3. Idem maius

TANACETVM vide BALSAMITA

TAXVS florifera, & non fructifera H. Piſ. * *Taxus vulgo Naſſus vocata, floſculos amentaceos ferens interfolia ſine fructu Cæſalp.* 134. *Smilax arbor Cam.* Albero della morte & Naſſo *vulgo*

TELEPHIOIDES Græca humifuſa, flore albo Coroll. Inſt. R. H. 50

TEREBINTHVS vulgaris Inſt. R. H. 579. * *Terebintho Matth.* 125. *An Terebinthus Cæſalp.* 78

2. Terebinthus Indica Theophraſti, Piſtacia Dioſcoridis Inſt. R. H. 580. *Piſtacchi Matth.* 294. Piſtacchio *vulgo*

TEVCRIVM ſupinum perenne paluſtre Apulum glabrum, foliis laciniatis, flore albo Michel. H. Piſ. Tab. 49. fig. 1

THALICTRVM maius, ſiliqua anguloſa aut ſtriata Inſt. R. H. 270. * *Ruta ſylveſtris altera humilior Cæſalp.* 371. *Saxifraga lutea, & Ruta pratenſis Geſn.*

2. Thalictrum maius flavum, ſtaminulis luteis, vel glauco folio Inſt. R. H. 270

3. Thalictrum minus, Adianti folio, floribus pendulis, ſtaminulis glaucis, ſeminibus craſſioribus bilineraribus ſtriatis

4. Tha-

4. Thalictrum alpinum præcox, caule purpuraſcente, foliis Aquilegiæ, ſtaminulis florum albis cum apicibus citrinis, fructu trilatero acuto quinquelineari

5. Idem ſtaminulis florum purpuraſcentibus, fructu denſe collecto

6. Idem ſerotinum, caule ſubpurpureo, foliis atroviridibus minoribus & quaſi complicatis, apicibus pallidis

7. Idem caule viridi, Aquilegiæ foliis minoribus quaſi complicatis, ſtaminulis florum purpuraſcentibus, apicibus ſubpallidis, fructu obtuſo ſemunciali

8. Idem ſerotinum foliis minoribus, apicibus ſubluteis, fructu obtuſo ſemunciali

9. Idem humile, foliis minoribus & rotundioribus ac parum inciſis, fructu habitiori ſemunciali

10. Idem humile, caule viridi, foliis rotundioribus rugoſis, floribus purpuraſcentibus, apicibus citrinis, fructu brevi obtuſo, pediculo longo appenſo

THAPSIA ſive Turbith Garganicum, ſemine latiſſimo Inſt. R. H. 322. * *Turpetum ex Gargano Apuliæ Monte de Thapſiæ radicibus concinnatum Garz.*

2. Thapſia montana omnium maxima, foliis lobatis (umbellis luteis) Michel. H. Piſ.

THLASPI alpinum fruticoſum ſempervirens, foliis carnoſis ſeſquiunciam longis & duas latis, floribus albis, petalis latiuſculis inæqualibus. *Thlaſpi Alpinum fruticoſum ſempervirens album, foliis anguſtioribus carnoſis Michel. H. Piſ.*

2. Thlaſpi fruticoſum ſempervirens, foliis biuncialibus lineam latis, floribus albis ſpicatis, petalis anguſtis inæqualibus. *An Thlaſpi e Racuſa non deſcriptum Donn. Cat. Plant. H. Flor.* 64

3. Thlaſpi Creticum quibusdam, flore rubente & albo Inſt. R. H. 213. * *Thlaſpi IIII. Matth.* 600. *Thlaſpi Creticum Cæſalp.* 367

4. Thlaſpi arvenſe ſiliquis latis Inſt. R. H. 212. * *Thlaſpi II. Matth.* 598. *Thlaſpi Cæſalp.* 366. *Thlaſpi Ric.* 69

THLASPIDIVM fruticoſum, Leucoii folio, ſemperflorens Inſt. R. H. 214

2. Thlaſpidium Apulum ſpicatum Inſt. R. H. 215

THYMBRA altera vulgaris, radicibus tenuibus ſparſis H. Piſ. * *Saſſifragia vera di Dioſcoride Matth.* 1028

THYMELAEA Lauri folio, ſempervirens, ſive Laureola mas Inſt. R. H. 595. * *Laureola & Mezereon Arabum Offic.*

THYMVS vulgaris, folio tenuiore Inſt. R. H. 196. * *An Pepolina ab aliis Piperella Cæſalp.* 466. *Thymo Ric.* 69

2. Thymus vulgaris ſubincanus, foliis lanceolatis, floribus ſubpurpureis

3. Thymus vulgaris, repens vel ſupinus, vix aut nequaquam incanus, Serpilli folio anguſto, floribus purpuraſcentibus. *An Thymus ſupinus candicans odoratus Inſt. R. H.* 196

4. Thymus virens, odore Hirci, Italicus Barr. Obſ. 29

TILIA fœmina folio maiore Inſt. R. H. 611. * *Tilia Marc.* 58. *Tilia femina Matth.* 191. *Tilia fœmina Cæſalp.* 41. *Tilia Offic.* Tiglia *vulgo*
2. Tilia fœmina folio minore Inſt. R. H. 611

TINVS prior Inſt. R. H. 607
2. Tinus alter Inſt. R. H. 607
3. Tinus tertius Inſt. R. H. 607
4. Tinus ſive Laurus ſylveſtris, ſemine rotundo H. Piſ. * *Laurus ſylveſtris Offic. ut*, & *ſuperiores* & Lentaggine *vulgo*

TITHYMALVS ſilvaticus, lunato flore Inſt. R. H. 85
2. Tithymalus caracias Cæſalp. 373
3. Tithymalus latifolius, Cataputia dictus Inſt. R. H. 86. * *Lathiri Matth.* 1321. *Cataputia Cæſalp.* 377. *Catapucia*, & *Lathyris Offic.*
4. Tithymalus paluſtris fruticoſus Inſt. R. H. 87. * *Tithymalus paluſtris Cæſalp.* 374. *Eſula maior Offic.*
5. Tithymalus myrſinites latifolius Inſt. R. H. 86. * *Tithymalo Mirſinite Matth.* 1312. *Tithymalus Myrſinites Cæſalp.* 376
6. Tithymalus ſive Eſula exigua Inſt. R. H. 86. * *Titimalo leptifillo Matth.* 1317
7. Tithymalus montanus, non acris Inſt. R. H. 85
8. Tithymalus cypariſſias maior. * *Hæc*, & *duæ ſequentes Tithymali ſpecies uſurpari promiſcue poſſunt pro Eſula minore*, & *Tithymalo Cypariſſia Ric.*
9. Tithymalus cypariſſias Inſt. R. H. 86. * *Tithymalus Eſula in Officinis vocatus Cæſalp.* 374
10. Tithymalus cypariſſias Matth. 1315
11. Tithymalus paluſtris repens, Salicis folio, caule punctis ſanguineis notato H. Piſ.
12. Tithymalus repens, folio Eſulæ minoris Dodonæi, glauco tamen, & elatior Lel. Triumf. ap. fratr. 65
13. Tithymalus repens elatior, Salicis aut Oleæ folio glauco, umbella ampliſſima, fructu ad angulos verrucoſo
14. Tithymalus arboreus altiſſimus, folio Salicis, caulibus rubeſcentibus Boerh. Ind. Alt. H. L. Bat. Part. 1. 255. * *Tithymalus arboreſcens Cæſalp.* 376
15. Tithymalus, an folio longo glauco, caule rubente, ſeminibus verrucoſis Raii Syllog. 249
16. Tithymalus nemoroſus, acutiori folio, dulcis Barr. Obſ. numer. 24. Icon. 834
17. Tithymalus ſaxatilis, glauco folio, umbella lutea, altius radicatus
18. Tithymalus maritimus, glauco folio. * *Tithimalo Paralio Matth.* 1313. *An Maritimus Tithymalus Cæſalp.* 375
19. Tithymalus arboreus linifolius Inſt. R. H. 87
20. Tithymalus Lini folio, maior, Italicus Barr. Icon. 821
21. Tithymalus (annuus) argenteus maritimus leptophyllos Lel. Triumf. ap. fratr. 65
22. Tithymalus Helioſcopius Inſt. R. H. 87. * *Tithimalo Helioſcopio Matth.* 1314. *Tithymalus Helioſcopius Cæſalp.* 378
23. Tithymalus rotundis foliis non crenatis Inſt. R. H. 87. * *Peplo Matth.* 1322. *Peplus Cæſalp.* 378. *Eſula rotonda Ric.*

24. Tithymalus exiguus glaber, Nummulariæ folio Inſt. R. H. 87. * *Chamæſyce Offic. ut & ſequens*
25. Tithymalus exiguus villoſus, Nummulariæ folio Inſt. R. H. 87

TORDILIVM Italicum, minus Michel. H. Piſ. *Seſeli Creticum maius C. B. Pin.* 161

TORMENTILLA maior erecta, foliis altius crenatis. *An Tormentilla ſylveſtris Inſt. R. H.* 398. * *Tormentilla Matth.* 998. *& Ric. Hæc, & ſequentes promiſcue uſurpantur pro Tormentilla, & Heptaphyllo Offic.*
2. Tormentilla minor procumbens, foliis læviter crenatis
3. Eadem gracilior, foliis anguſtioribus

TOXICODENDRON triphyllon glabrum Inſt. R. H. 610. * *Hedera trifolia Canadenſis Corn.*

TRACHELIVM azureum umbelliferum Inſt. R. H. 170

TRAGOPOGON pratenſe luteum maius Inſt R. H. 477. * *Tragopogono Matth.* 567. *Tragopogon vulgo Saſſefrica Cæſalp.* 517

TRAGOSELINVM maius, umbella candida Inſt. R. H. 309. *Pimpinella ſaxifragia Matth.* 1086. *Saxifraga Hircina maior I. B.*
2. Tragoſelinum minus ſubhirſutum, foliis Apii tantum circa radicem, caule nudo altiori & ramoſiori, umbellis albis primariis & ſecundariis non folioſis, ſemine candicante
3. Tragoſelinum minus foliis inferioribus Sanguiſorbæ, cæteris Millefolii, umbella alba
4. Idem foliis ſuperioribus Oenanthes, umbella nuda, ſemine glabro

TRIBVLVS terreſtris, Ciceris folio, ſeminum integumento aculeato Inſt. R. H. 266. *Tribolo terreſtre Matth.* 1026.

TRIFOLIASTRVM pratenſe corymbiferum maius repens, folio ſubrotundo duabus falcatis maculis inſignito, quarum maior albida altera ferruginea, capitulis ſuave rubentibus, ſiliquis . . . . . .
2. Trifoliaſtrum pratenſe corymbiferum repens minus, folio ſubrotundo macula alba ſagittata minima, ſiliquis tetraſpermis Michel. Nov. Plantar. Gen. 27. num. 11
3. Trifoliaſtrum annuum corymbiferum album & procumbens, folio cordato ſubtus atrovirente ſplendente, ſiliqua tetraſperma inferne falcatim diſcriminata Michel. Nov. Plant. Gen. 27. Ord. 2. n. 2. Tab. 25. fig. 6
4. Trifoliaſtrum arvenſe ſive Lupulinum minus, folio cordato, partim ſupinum partim erectum, capitulis florum craſſioribus initio e luteo vireſcentibus poſtea albicantibus & tandem fulvis, pediculis ſemiuncialibus & uncialibus inſidentibus, ſiliqua compreſſa monoſperma Michel. Nov. Plant. Gen. 29. Ord. 6. n. 5

TRIFOLIVM bitumen redolens Inſt. R. H. 44. * *Trifoglio Aſphaltite Matth.* 882. *Trifolium bituminoſum Cæſalp.* 242. *Hoc, & ſequens Trifolium promiſcue in Officinis vocantur Trifolium Aſphaltite, ſeu Bituminoſum*

2. Tri-

2. Trifolium bitumen redolens, anguſtifolium Boerh. Ind. Alt. H. L. Bat. Part. 2. 32.

3. Trifolium pratenſe (præcox) flore monopetalo Inſt. R. H. 404. * *Hæc, & ſequens Trifolii pratenſis ſpecies promiſcue in Officinis uſurpantur pro Trifolio vulgari, & vulgo* Trifoglio *vocantur*.

4. Trifolium pratenſe (ſerotinum) flore monopetalo Inſt. R. H. 404.

5. Trifolium pratenſe hirſutum maius (foliis oblongis retuſis & nonnihil abſciſſis) flore (monopetalo) alboſulphureo ſeu ochroleuco Raii Synopſ. Ed. 2. 193. & Ed. 3. 328. num. 3.

6. Trifolium montanum, ſpica longiſſima rubente Inſt. R. H. 405. * *Cytiſus Trag. Pes Milvi Pandectarii*.

7. Trifolium montanum purpureum maius Inſt. R. H. 404.

8. Trifolium montanum, foliis oblongis ad margines piloſis.

9. Trifolium Fragiferum noſtras purpureum folio oblongo Inſt. R. H. 406.

10. Trifolium arvenſe humile ſpicatum, ſive Lagopus Inſt. R. H. 405.

TVLIPA præcox lutea Inſt. R. H. 373. * *Hæ Tulipæ ſpecies Lilionarciſſus quibusdam vocantur*.

2. Tulipa præcox rubra Inſt. R. H. 373. * *Narciſſo V. Matth.* 1305.

3. Tulipa præcox alba Inſt. R. H. 373.

4. Tulipa minor lutea Italica Inſt. R. H. 376. * *Lonchitis Cæſalp.* 412.

5. Tulipa variegata Perſica Inſt. R. H. 376.

TVRRITIS Inſt. R. H. 223. * *An Accipitrina quædam cauliculo ſimplici Cæſalp.* 361. *Turritis Lob. Turrita Cluſ. Vaccaria Tabern.*

2. Turritis foliis inferioribus Cichoriaceis, cæteris Perfoliatæ Inſt. R. H. 224.

3. Turritis vulgaris ramoſa Inſt. R. H. 224. * *Piloſella ſiliquata Thal.*

TVSSILAGO vulgaris Inſt. R. H. 487. * *Toſſilaggine Matth.* 893. *Tuſſilago, quae vulgo Farfara, ab aliis Vngula Caballina vocatur Cæſalp.* 490 *Bechium, Vngula Caballina, Lactuca Vſtularia, & Tuſſilago Offic.*

VALERIANA hortenſis, Phu folio Oluſatri Dioſcoridis Inſt. R. H. 132. * *Valeriana Marc.* 12. *Phu maggiore Matth.* 43. *Valeriana Cæſalp.* 48. *Phu verum, vel maius. Valeriana optima. Carpeſium Offic. Valeriana Domeſtica, o maggiore Ric.*

2. Valeriana ſilveſtris maior Inſt. R. H. 132. * *Phu minore Matth.* 44. *Valeriana ſilveſtris Cæſalp.* 148. *Hæc, & ſequens promiſcue uſurpantur pro Valeriana ſilveſtri, ſeu minore Offic. & Valeriana ſalvatica e minore Ric.*

3. Eadem foliis anguſtioribus, floribus prorſus albis.

4. Valeriana alpina prima Inſt. R. H. 131. * *An Valeriana inodora Cæſalp.* 150?

5. Valeriana rubra Inſt. R. H. 131. * *Valeriana tertia inodora Cæſalp.* 150. *Behen rubrum Offic.*

6. Valeriana alpina Nardo Celticæ ſimilis Inſt. R. H. 131.

VERATRVM foliis glabris, caule ſimplici vireſcente, floribus parvis atropurpureis in ſpicis hinc inde ad caulem diſpoſitis. *An Veratrum flore atrorubente Inſt. R. H.* 273. *An Ellebori albi alterum genus Cæſalp.* 580?

2. Veratrum flore ſubviridi Inſt. R. H. 273. * *Elleboro bianco Matth.* 1274. *& Ric. Elleborus albus Cæſalp.* 580. *Veratrum album, & Elleborus albus Offic.*

3. Veratrum alpinum parvum præcox.

VERBASCVM tomentoſum ramoſum latifolium maximum, & minus incanum, foliis ſerratis (per baſim laciniatis) caule non alato, flore luteo magno Michel. H. Piſ.

2. Verbaſcum mas (annuum tomentoſum) latifolium luteum (caule alato, foliis non ſerratis, flore parvo) Inſt. R. H. 146. * *Verbaſco primo Matth.* 1202. *Verbaſcum. Tapſus barbatus Offic.* Taſſo Barbaſſo *vulgo*.

3. Verbaſcum nigrum latifolium annuum, pulviſculo candidiſſimo undique obductum (caule rotundo) flore luteo parvo, ſtaminulis croceis lanugine alba præditis Michel. H. Piſ. * *An Verbaſco Lichnide Matth.* 1206.

4. Verbaſcum montanum annuum tomentoſum luteſcens, caule non alato, foliis non ſerratis, ſpica compacta, floribus parvis luteis, ſtaminulis & lanugine concolore, apicibus croceis. *Verbaſcum montanum tomentoſum luteum, unica florum ſpica denſiſſima H. Piſ. Tab.* 50. *fig.* 1

5. Verbaſcum nigrum perenne, folio cubitali crenato, caule non alato, flore luteo parvo, ſtaminulis concoloribus, & lanugine alba (purpuraſcente potius) præditis Michel. H. Piſ.

6. Verbaſcum maritimum perenne incanum & tomentoſum, caule rotundo ſimplici, foliis anguſtis ſerratis, flore luteo parvo, ſtaminulis cum lanugine purpuraſcente.

7. Verbaſcum perenne glabrum, anguſto & viridi ſubtus incano folio (caule non alato) flore luteo parvo, ſtaminulis croceis & lanugine alba tectis Michel. H. Piſ.

8. Verbaſcum annuum præaltum, Mandragoræ folio læviter ſerrato inferne ſubincano, caule præalto ramoſo & ſtriato, floribus parvis albis, ſtaminulis & lanugine concolore, apicibus croceis. *An Verbaſcum Lychnitis flore albo parvo Inſt. R. H.* 147.

9. Verbaſcum nigrum, folio Papaveris corniculati Inſt. R. H. 147. * *Vn altro Verbaſco Matth.* 1207.

VERBENA communis cæruleo flore (foliis diſſectis) Inſt. R. H. 200. * *Verbena Cæſalp.* 450. * *Hæc, & ſequens promiſcue uſurpantur pro Verbena, Herba Sacra, Hierobotane, Herba S. Ioannis, & Berbena.*

2. Eadem foliis non, vel parum diſſectis * *Verbenaca Matth.* 1107.

3. Verbena Vrticæfolia Canadenſis Inſt. R. H. 200.

4. Verbena Vrticæfolia Canadenſis, foliis inciſis, flore maiore Inſt. R. H. 200.

VERONICA minor (fruteſcens, caule rotundo) foliis imis rotundioribus (ſuperioribus oblongis & acuminatis, floribus purpureis vel ſaturate cæruleis) Inſt. R. H. 144. * *Teucrium pratenſe Chamædryoides Lob.*

2. Eadem foliis profunde & eleganter inciſis, floribus amœne cæruleis.

3. Ve-

3. Veronica mas ſupina & vulgatiſſima Inſt. R. H. 143. * *Veronica Maſchio Matth.* 730. *Veronica mas Offic.*

4. Veronica minor anguſtifolia ramoſior & procumbens Inſt. R. H. 144

5. Veronica maxima Inſt. R. H. 144

6. Veronica, an pratenſis ſerpillifolia Inſt. R. H. 144

7. Veronica alpina glabra, rotundo Alſines Plantaginis folio Bocc. Muſ. Part. 2. 18. Tab. 7

8. Veronica aquatica minor, folio ſubrotundo Inſt. R. H. 145. * *Becabunga*, *Anagallis aquatica*, *Veronica aquatica. Offic.*

9. Veronica ſpicata purpurea erecta ramoſa hirſuta & ſubincana (foliis brevibus leviter & rotunde crenatis, floribus compactis) Michel. H. Piſ. *Auricula muris quarta in Pratis Cæſalp.* 336

10. Veronica ſpicata ſubhirſuta erecta, foliis acutis, rarioribus crenis inciſis, floribus cæruleis parvis non compactis

11. Veronica ſpicata erecta ferme glabra, foliis rarius dentatis, floribus maiuſculis rarius diſpoſitis

12. Veronica ſpicata ferme glabra, foliis imis rotundioribus ſerratis, cæteris anguſtis & a medio ad ſummum leviter crenatis, floribus cæruleis rarius diſpoſitis

13. Veronica ſpicata erecta anguſtifolia

14. Veronica minima, Clinopodii minoris folio, glabra Romana Inſt. R. H. 144

VIBVRNVM Inſt. R. H. 607. * *Viburno Matth.* 235. *Lantana Cæſalp.* 76

VICIA maxima dumetorum Inſt. R. H. 397

2. Vicia multiflora Caſſubica fruteſcens, Lentis ſiliqua Breyn. Prodr. 1. 45

3. Vicia, an ſylveſtris multiflora maxima Raii Hiſt. 913

4. Vicia annua glabra, foliis latis ex rotunditate acuminatis, floribus pallidis amplioribus ad ſingulos nodos quaternis, ſiliquis fuſcis glabris, ſemine parvo variegato ſubamaro

5. Vicia ſupina, latiſſimo folio non ſerrato Inſt. R. H. 397. * *Fava ſalvatica Matth.* 446

VIOLA martia foliis nitidis, flore pleno purpureo. *An Viola Martia, multiplici flore purpureo Inſt. R. H.* 419. Viola Mammola doppia *vulgo*

2. Viola martia purpurea, flore ſimplici odoro Inſt. R. H. 419. * *Viole porporee Matth.* 1239. *Viola purpurea vulgo Mammola Cæſalp.* 391. *Viole, & Vivuole Mammole Ric. Viola & Viola purpurea, Offic.* Viola Mammola *vulgo*

3. Viola martia inodora ſilveſtris, an foliis maioribus & rotundioribus Inſt. R. H. 419

4. Viola martia alba Inſt. R. H. 419. * *Viola purpurea vulgo Mammola candida Cæſalp.* 393

5. Viola alpina rotundifolia lutea Inſt. R. H. 420

6. Viola martia ſilveſtris caulifera, foliis mucronatis, flore violaceo inodoro

7. Viola martia glabra, foliis mucronatis, viticulis longis, flore dilute cæruleo inodoro

8. Viola martia arboreſcens purpurea Inſt. R. H. 420

9. Viola arvenſis annua erecta fruticoſa, foliis crenatis, imis rotundioribus, cæteris longis & anguſtis, omnibus per baſim pulchre auriculatis, flore minimo tricolore * Suocera e Nuora *vulgo ut & ſequentes*

10. Eadem flore albo, & luteo
11. Eadem flore luteo, & cæruleo
12. Eadem flore luteo
13. Eadem flore albo

VIRGA AVREA vulgaris latifolia Inſt. R. H. 484. * *Virga Aurea Cæſalp.* 503. *Virga aurea Offic.*

2. Virga Aurea, foliis longioribus ſerratis ſubhirſutis & nonnihil criſpis, floribus luteis, ſemifloſculis plerumque ſeptenis perangustis & utrinque acuminatis

3. Virga Aurea, foliis minoribus ſerratis glabris & non criſpis, floribus luteis, ſemifloſculis plerumque quinis obtuſis & tricuſpidatis. *An Virga aurea latifolia ſerrata Zannich. Tab.* 271

4. Virga aurea foliis Laurininis aſperis & non ſerratis, ſemifloſculis obtuſis & tricuſpidatis

5. Virga aurea Canadenſis hirſuta, panicula minus ſpecioſa Inſt. R. H. 484

6. Virga aurea Limonii folio, panicula uno verſu diſpoſita Inſt. R. H. 484

7. Virga aurea maior, foliis glutinoſis, & graveolentibus Inſt. R. H. 484. * *Conyza mas Theophraſti, maior Dioſcoridis C. B.* Ceſpita *&* Ceppita *vulgo*

8. Virga aurea anguſtifolia, minus ſerrata, flore albo Inſt. R. H. 484

9. Virga aurea Virginiana annua Inſt. R. H. 484

VITEX foliis anguſtioribus, Cannabis modo diſpoſitis (non ſerratis) Inſt. R. H. 603. * *Vitice Matth.* 214. *Vitex vulgo Agnus Caſtus Cæſalp.* 128. *Agno, & Agno Caſto Ric. Agnus caſtus Offic.*

VITIS quinquefolia Canadenſis ſcandens Inſt. R. H. 613

VLMARIA Inſt. R. H. 265. * *Regina Prati Dod. Vlmaria Offic.*

VRTICA maior vulgaris urens perennis, foliis anguſtioribus. *Vrtica maior Fuchſ. Hiſt.* 107. *Dod. Gall.* 98. *Brunf. Tom.* I. *pag.* 151. *Vrtica vulgaris maior I. B.* 3. 445

2. Eadem foliis amplioribus. *Ortica II. Matth.* 1184. *An Vrtica vulgaris urens I. Trag.* 2. *Vrtica ſylveſtris aſperior Tabern. Icon.* 534. *Vrtica urens altera Dod. Pempt.* 151. *Vrtica urens Ger. Emac.* 706. *Vrtica media ſylveſtris Park Theatr.* 441. * *Vrtica Offic. ut, & ſuperior*

3. Vrtica peregrina perennis non urens, amplo Coryli folio, racemis florum magis ſparſis, ſemine cordato. *An Vrtica racemoſa Americana, amplo Coryli folio Inſt. R. H.* 535. *An Vrtica maxima racemoſa Canadenſis Eiuſdem Ibid.*

4. Vrtica annua minor magis urens, foliis ſubrotundis, racemis florum longiſſimis purpuraſcentibus, ſeminalibus vero brevibus & viridibus. *Vrtica minor annua magis urens, foliis ſubrotundis, floribus purpuraſcentibus H. Piſ. Vrtica tertia, floſculis purpuraſcentibus Cæſalp.* 157. *An Vrtica in eodem caule racemulis floriferis, & fructiferis Raii Meth. Plant.* 19

5. Eadem racemis florum viridibus. *Vrtica minor annua magis urens, foliis ſubrotundis, floribus ſubviridibus H. Piſ.*

6. Eadem minus urens, foliis altius & eleganter inciſis & fere ſplendentibus, racemis florum purpureis

7. Vr-

7. Vrtica minor annua urens (viridis) foliis ſubrotundis, fructifera & non florifera H. Piſ. *Vrtica urens minor C. B. Pin.* 232. *Vrtica minor annua I. B.* 3. 449. *Vrtica minor acrior Lob. Icon.* 522. *Vrtica urens minor Dod. Pempt.* 152. *Vrtica* 3. *Matth.* 1185. *An Vrtica quarta floſculis candicantibus Cæſalp.* 157

8. Eadem rubra, foliis ſimpliciter dentatis, ſpicis breviſſimis. *Vrtica III. Matth.* 1185. *Lugd.* 1244. *C. B. in Matth.* 790. *Vrtica minor acrior Lob. Icon.* 522. *Vrtica urens minima Dod. Pempt.* 152

9. Eadem foliis oblongis. *Vrtica minor Park Theatr.* 441

10. Vrtica Florentina annua urens minor & eleganter (foliis oblongis parvis, altius & ſimpliciter dentatis, ſpicis brevibus florem fructumque ſimul ferentibus) Michel. H. Piſ. *Vrtica minor Brunſ. Tom.* 1. 154

VVLNERARIA pentaphyllos Inſt. R. H. 391. * *Trifolium Halicacabum ſive veſicarium I. B.*

XANTHIVM album, fructu craſſiori creberrimis ſpinis in apice hamatis munito. *Xanthium Inſt. R. H.* 439. * *Xanthio ovvero Lappa minore Matth.* 1263. *Hæc, & ſubſequens Xanthii ſpecies promiſcue uſurpantur pro Xanthio, Lappa minore, Bardana minore, & Strumaria Offic.*

2. Idem rubrum, fructu anguſtiori rarioribus ſpinis in apice hamatis munito

3. Xanthium Canadenſe maius, fructu aculeis aduncis munito Inſt. R. H. 439

4. Xanthium Luſitanicum laciniatum, validiſſimis aculeis munitum Inſt. R. H. 439

5. Xanthium Creticum præaltum, fructu ſubrotundo validioribus aculeis munito D. Sesler

XIPHION anguſtifolium violaceum Inſt. R. H. 364. * *Iris Bulboſa C. B.*

YVCA foliis Aloes C. B. Pin. 91

2. Yuca Indica arborea, radice non tuberoſa, foliis Aloes rigidis ſerratis & atrovirentibus, floribus albis

* *Ad duodecim quandoque ſpithamarum altitudinem aſſurgit hæc Yuca hiemis rigoribus invicta. Caudex ſpithamam craſſus ab imo ad medium uſque lævis eſt, ſuperne vero ſcaber & foliorum marcidorum reliquiis muricatus. Summitas in plura capita dividitur, quorum unumquodque denſa ſtipatur congerie foliorum* (fig. 1.) *robuſtiorum ac craſſiorum quam* Yucæ foliis Aloes C. B. Pin. *ſaturatius virentium, marginibus denſe minutiſ-*

nutiſſimeque ſerratis, & in oblongum ac validum aculeum abeuntium. Ex horum foliorum ſinu quotannis erumpit elegans ſpica ramoſa floribus (fig. 2.) *cernuis onuſta, ſtructura, odore, & colore floribus ſupradictæ* Yucæ foliis Aloes *ſimilibus, magis tamen carnoſis ac ſectionibus nonnihil anguſtioribus. Piſtillus ſingulorum florum, ſive embryo, abit in fructum* (fig. 3.) *per maturitatem nigropurpureum, propendentem, fructibus* Aloes Americanæ *a Thobia Aldino in Horto Farneſiano depictis pag.* 96. *ſimilem, ſed per omnia quadruplo maiorem. Tribus hic latis laminis auctus videtur, quæ marginibus foliaceis non congruentibus ſulcos tres latos conſtituunt, adeout fructus ſex veluti alis & tribus ſulcis per longitudinem diſtinguatur. Præterea ad petioli inſertionem circulo prominente ſeu corolla inſtructus eſt, ſex armata dentibus, qui ſtaminum reliquiæ ſunt. Semina* (fig. 4.) *ex rotunditate in acumen deſinentia compreſſa dura & cortice nigro rugoſo tecta, in ſex cellularum* (fig. 5.) *ſeu loculamentorum ſeries univerſam fructus longitudinem* (fig. 6.) *excurrentes digeſta ſunt. Quoniam vero cellularum ſingulorum ordinum plana non in eadem præciſe linea diſpoſita ſunt, ſit ut horizontaliter ſecto fructu* (fig. 5.) *tria tantum appareant ſemina, quæ nempe in eodem Plano ſuperiori collocata ſunt, at in tribus aliis intermediis ordinibus vix ullum appareat ſeminis veſtigium, niſi tantillum adhuc eadem directione ſecetur fructus. Tunc enim & hæc quoque inferiora conſpectui ſe præbent ſuperioribus jam fere obliteratis omnino ſimilia. Pulpa parietum & ſeptorum mollis eſt, nigropurpurea, ſapore dulci, levi aromatico vinoſoque admixto, per ſiccitatem vero pulpæ* Caſſiæ ſolutivæ *quodammodo ſimilis. Huius Yucæ arbor ſatis procera conſpicitur in prædio quodam prope Regiam Villam Caſtelli, Aliæ inſuper in Horto Noſocomii Senenſis in Horto Piſano, & in Horto Noſtro.* Yuca foliis Aloes C. B. *licet communis Nobis ſit, & quotannis floreat, nunquam tamen (quod ſciam) fructum edidit*

ZANNICHELLIA paluſtris maior, foliis gramineis acutis, flore cum apice quadricapſulari, embryonis clypeolis integris, & vaſculo non barbato, capſulis ſeminum ad coſtam dentatis Michel. Nov. Plant. Gen. 71. n. 1. Tab. 34. fig. 1

ZIZIPHVS ſativa, fructu rotundo H. Piſ. * *Iuiuba Offic.* Giuggiolo tondo *vulgo*

F I N I S

APPEN-

IO. TARGIONII TOZZETTII
APPENDIX
AD
PETRI ANTONII MICHELII CATALOGUM PLANTARUM
HORTI CAESAREI FLORENTINI

Qua Plantae a MICHELIO deſcriptae illuſtrantur,

Pluresque aliae vel ab eo praetermiſsae, vel poſt eius obitum in Hortum inlatae recenſentur.

IO. TARGIONII TOZZETTII

APPENDIX.

Pag. 1.

ABROTANI *ſpeciebus praefige*.

ABIES Taxi folio, fructu ſurſum ſpectante Inſt. R. H. 585. Abies Offic.

2. Abies tenuiore folio, fructu deorſum inflexo Inſt. R. H. 585. Picea, & Abies rubra Offic. *Priorem e Monte Baldo attulit Michelius; poſteriorem ex Alpibus noſtris Vallis Umbroſae deferri curavi.*

ABROTANO 1. *ſubiunge.*

Hujus ſpeciei flores in ſpicas laxas triunciales diſtributi ſunt duodecim, vel ad ſummum viginti: conſtant autem floſculis exiguis duplicis formae, quod & tribus inſequentibus ſpeciebus contingit. Calycis ſquamae in prima hac ſpecie albicantes, nonnihil lanuginoſae, margine foliaceo auctae, dorſum compreſſum, & ferme complanatum habentes, Capitulum totum veſtiunt. Thalamus (quem admodum & in inſequenti ſpecie) tenuiſſima, ac breviſſima lanugine obductus eſt. E Gargano Appuliae Monte olim attulit Michelius.

ABROTANO 2. *ſubiunge.*

Corymborum baſis, & diſcus latus eſt, & fere complanatus: ſquamae calycis adeo breves ſunt, ut dimidiam tantum Capituli molem veſtiant; duplo item latiores ſunt, quam in praecedenti ſpecie, & margine foliaceo auctae; dorſum praeterea gibboſum habent, & valde prominentem. In quibuſdam Agri Florentini locis ſponte provenit.

ABROTANO 3. *ſubiunge.*

E Glandulis per univerſam Plantae ſuperficiem ſparſis & intra villos latentibus extillat, diebus praeſertim ſiccioribus, Balſamum quoddam pellucidum, Camphorae odorem ſpirans, quod magni uſus in Medicina eſſe poſſet. Noſtri certe Agricolae ad contuſiones, & ecchymoſes reſolvendas felici cum ſucceſſu utuntur Oleo Olivarum, in quo huius Abrotani folia diebus Canicularibus infuſa Solique expoſita diu fuerint.

ABROTANO 5. *ſubiunge.*

Capitula habet rotunda, nutantia, quorum ſingula duodecim circiter floſculos perfectos, ſeu vagina ſtaminea inſtructos, & ſex imperfectos continent. Placenta villis omnino deſtituta eſt, ſed papillis quibusdam exaſperatur, quibus adhaerent floſculi; quod & Abſinthio Pontico tenuifolio incano Inſt. R. H. *contingit.*

Pag. 2.

ABSINTHIO 2. *ſubiunge.*

Ex ſeminibus a Michelio in ultimo ſuo Itinere collectis nata eſt Abſinthii Pontici, ſeu Romani Officinarum ſpecies, cuius folia profundius inciſa ſunt, diviſaque in praetenues, & acutas lacinias: talem vero ſe conſtanter hactenus exhibuit. Duae praecedentes ſpecies capitula lata, compreſſa, & nutantia proferunt, floſculos luteos duplicis formae (non ſecus ac ſuperiores Plantae) thalamo villis obſito adhaerentes, & ſemina glabra.

ABUTILI *ſpeciei, adde ſequentes.*

2. Abutilon Althaeodes, flore carneo, fructu globoſo H. Eltham. 1. Tab. 1.
3. Abutilon Lavaterae flore, fructu criſtato H. Eltham. 3. Tab. 2.
4. Abutilon veſicarium criſpum, floribus Melinis parvis H. Eltham. 6. Tab. 5.
5. Abutilon perenne, molle, & incanum, flore roſeo, non deſcriptum, ex Providentiae Inſula D. Dillenii, *qui huius, & ſuperiorum ſpecierum ſemina nobiſcum perhumaniter communicavit.*
6. Abutilon repens Alceae foliis, flore helvolo H. Eltham. 5. Tab. 4. *quod Michelius in hoc ipſo Catalogo Pag.* 62. *appellaverat* Malvindam Americanam procumbentem, Alceae folio, flore phoeniceo parvo.

Deſcriptioni ACACIAE 2. *adde ſequentia.*

Flos accuratius obſervatus conicus apparuit, ore in ſex partes, quales deſcripſi, ad medium uſque diviſo, quae rotatim complanantur Alaterni florum inſtar. Ex angulis quos ſectiones iſtae efficiunt, perpendiculariter ſurgunt ſtamina villis pellucidis ad baſim obſita. Nullum embryonis rudimentum in maſculinis hiſce floribus videre licuit: nec vero femininos, ſeu fecundos, qui in celſiore arboris parte proveniunt, in tot florum exiguorum chiliadibus dignoſcere facile eſt. Anno 1740. *ſiliquas tres protulit ab ea quam pingi curaveram nonnihil aberrantes: breviores ſiquidem, latiores, magis complanatae, acutiores, & tortuoſiores erant; adeo ut perbelle referrent ſiliquam* Acaciae Americanae Abruae foliis triacanθος, ſive ad axillas foliorum ſpina triplici donatae Pluk. Mant. 2. *cuius icon exhibetur Tab.* 21. Catalogi Plantarum tum exoticarum, tum domeſticarum, quae in Hortis haud procul a Londino ſitis in venditionem propagan-

pagantur: *Quinimmo totius Plantae facies ab illa non multum abludit, ſi validiſſimas, & triplices ſpinas excipias, quibus noſtra prorſus caret. Pulpa parietum, & ſeptorum ſiliquae ſtuppoſa eſt, initio acida, deinde reſinoſa, auſtera, ingrati, & fere urentis ſaporis: tandem ſiliqua ſicca, & quaſſata ſtrepit.*

ACANTHI *ſpeciebus adde.*

4. Acanthus mollis minor Aſplenii folio.

Folia plerumque palmaria, atrovirentia in plures ſubrotundos lobos Aſplenii vel Dentis Leonis in morem diviſa ſunt. Flos a prima ſpecie non abludit: Calycis ſquama, ſeu valva ſuperior integra, & linguata eſt; inferior in apice dentata, & foliolis duobus longis graminiformibus ad latera ſtipata; neutra vero ſpinoſa eſt. Ex ultimo Michelii *Itinere per Venetam Ditionem habemus.*

ACARNA maior, caule folioſo C. B. Pin. 379. Vaill. in Act Acad. R. Sc. A. 1718. Pag. 208. n. 1. *Cnicus polycephalos caneſcens, aculeis flaveſcentibus munitus Inſt. R. H.* 451.

Pag. 3.

ACERI 5. *ſubiunge.*

Huius arboris flores petala decem, totidemque ſtamina habent.

ACETOSAE 1. *ſubiunge.*

Florifera & fructifera ſimul eſt. Eius fructus veſtiuntur tribus alis membranaceis, quae tria calycis, ſeu floris folia interiora fuerant; exteriora enim, & minora in ſitu ſuo manent.

In ſpeciei quintae, & duarum ſequentium floribus animadverſione dignum eſt, quod tria folia minora & exteriora calycis, quae pendula primum erant, dum embryo matureſcit, eriguntur, & petiolo applicantur: tria vero interiora, & ampliora perſiſtunt in eodem fere ſitu, & nullatenus embryonem veſtiunt. Contra vero in ſpeciebus 10. *&* 11. *(de* 12. *enim certus non ſum) quae individua alia florifera tantum ſeu ſterilia, alia vero florifera & fructifera ſimul proferunt, florum fecundorum tria folia exteriora pendula ſemper conſiſtunt; tria autem interiora, & exigua embryoni ita exacte applicantur, ut capſulam, ſeu folliculum fructus quodadmodo conſtituant. Speciei* 14. *flos, ſeu calyx folia tria exteriora habet non dentata, ſed Cochlearis inſtar excavata; tria vero interiora dentata, ſeu laciniata. Stamina quinque e centro attolluntur, inter quae ſedet embryo trigonus, e cuius vertice acetabula, ſeu nectaria tria fimbriata erumpunt, & calycis foliis interioribus applicantur, petiolo tenuiſſimo adnexa.*

Pag. 4.

ALATERNO *ſubiunge.*

Huius Plantae flos non monopetalus, ſed proculdubio roſaceus eſt, ut a Michelio quoque adnotatum repperi. Quinque enim ſegmenta, in quae diſpertiri creditus eſt, ſunt totidem petala pyramidata exigua, quae ſimul cum ſtaminibus decem numero, breviſſimis, piſtillum ſtipantibus, adhaerent fimbriae, ſeu

margini calycis: decidunt autem ſeorſim petala ſingula, ut in roſaceis floribus contingit, & calycem ſcutellatum relinquunt. Embryo globoſus tuba trifariam ſciſſa in apice munitus adnectitur fundo calycis, eoque ad medium uſque veſtitur, non ſecus ac Glandes Cupula.

ALCEAE *ſpeciebus adde.*

4. Alcea ſerrata flore incarnato Boerh. Ind. Alt. H. Lugd. Bat. 270.

ALCHIMILLAE *ſpeciebus adde.*

4. Alchimilla alpina Linariae foliis, calyce florum albo in foliorum aliis (ferme ſine pediculis) Mich. H. Piſ. *Caſiae ligneae ſimilis parvus frutex in Alpibus primus Caeſalp.* 155.

ALKEKENGI 2. *ſubiunge.*

Huius ſpeciei flores a reliquis congeneribus abludunt; infundibuliformes enim, ſeu campanulati ſunt, non rotati.

3. Alkekengi Indicum minimum, fructu vireſcente Inſt. R. H. 151.

ALNO 1. *ſubiunge.*

Folia uncias quatuor longa ſunt, tres cum dimidia lata: fructus 5. ferme lineas longus eſt, quatuor vero in ampliore diametro habet. In ſicco ſolo colitur.

ALOES *ſpeciei* 1. *ſubiunge.*

Planta haec ex America primum ad nos delata, climati noſtro adeo adſuevit, ut non ſolum ubique frigoribus invicta perennet, & radicum ope propagetur ad ornatum ſummopere expetita; ſed etiam pluribus in locis flores proferat. Probe Liburnum circa Valetudinarium D. Iacobi quotannis id accidit. Apud Morronam etiam, apud Caſtrum Florentinum, & in Agro Imprunetano nuper floruit. Quinimmo in ipſa Urbe Florentia in interioribus Moenibus ad Hortum Sanctimonialium Annae Helenae quandoque Populo mirante floriferum caulem extulit. Anno 1739. *floribus onuſtam videre mihi contigit in ſuburbano DD. Bellucciorum in Agro Quercetano. Nihil autem in ea diverſum deprehendi a deſcriptione & icone propoſita in Horto Farneſiano Thobiae Aldini, ſeu verius Petri Caſtelli Pag* 95. *Peculiarem huius ipſius Aloes varietatem a paucis annis in hoc Regio Horto colimus, quae ſcilicet folia eleganti pallido Margine venuſta profert; non tamen hactenus compertum mihi eſt quo nomine a ceteris diſtinguatur.*

ALOES *ſpeciei* 3. *ſubiunge.*

Eſt Aloe Africana maculata ſpinoſa maior H. Eltham 17. Tab. 14. *Apud nos quotannis in aere libero floret, & fructus perficit. Caulis flores ſuſtinens in tres vel quatuor ramos divaricatur. Neque haec tantum Aloes ſpecies in Horto noſtro quotannis abſque hypocauſti auxilio flores producit; ſed quinta etiam, & hae a Michelio omiſſae.*

8, Aloe Africana erecta triangularis & viſcoſa Commel. Prael. 82. H. Amſt. 13. Tab. 13.

9. Aloe Africana erecta rotunda, folio parvo, & in acumen rigidiſſimum exeunte Commel. Prael. 83. H. Eltham. 16. Tab. 13.

10. Aloe Africana margaritifera minor Commel. H. Amſt. Part. 2. 21. H. Eltham 19. Tab. 16.

11. Aloe

11. Aloe Africana Margaritifera minima Commel. Prael. 43. H. Eltham. 20. Tab. 16.

Pag. 5.

ALSINANTHEMO 2. *ſubiunge*.
Fructus vaſculoſus in apice tantum dehiſcens, Lychnidis fructuum ad inſtar, ab Alſines ſpeciebus has ſeiungit. Vaillantius in Bot. Par novum Genus conſtituerat nomine Lychnoidis, *quod nomen a Raio T. 3. 489. alii plantis tributum fuerat.*

ALSINE 3. *ſubiunge*.
Planta annua eſt, foliis Hederaceis veſtita: Calycis florum ſectiones ſesquilineam longae ſunt; Petala vero quinque alta, duas tertias lineae partes longa ſunt, quartam lata, & uſque ad centrum bifida.

ALSINE 10. *ſubiunge*.
An Alſine Spergulae facie marina perennis, flore violaceo Moris. Hiſt. Oxon. part. 2. 551. *Alſine Spergulae facie media C. B. Pin.* 251. *Bot. Monſp.* 14. *Spergula marina noſtras I. B.* 3. 722. *Spergula marina Lugd.* 1385. *ex Mich. Rar. Petala ſeſquilineam longa ſunt; margo ſeminum albicans, & fere pellucidus eſt. In Maritimis Piſanis abunde prevenit.*

ALSINE 13. *ſubiunge*.
Eſt Alſine Alpina ſaxatilis glabra perennis, folio capillaceo in externa parte tribus nervis inſtructo, flore pentapetalo albo, petalis ſubrotundis lineam longis, & indiviſis, &c. Mich. Rar.

ALSINE 14. *ſubiunge*.
Annua eſt, proindeque diverſa ab inſequenti; glabra item, folio capillaceo, flore herbido tetrapetalo, petalis ſubrotundis vix conſpicuis, fructu orbiculato: Ex Mich. Rar.

ALSINE 15. *ſubiunge*.
Petala florum ferme orbiculata ſunt.

ALSINE 16. *ſubiunge*.
Eſt Alſine Alpina ſaxatilis glabra, caulibus longioribus, foliis perangustis deorſum reflexis, floribus pentapetalis albis, petalis anguſtis trilinearibus, & indiviſis, ſemine reniformi nigro ſplendente. *Alſine alpina glabra foliis reflexis Pluk. Phytogr. Tab.* 75. *fig.* 5. *ſaxifraga Bavarica Ponae Bald. Ital.* 159. *Park. Theat.* 427. *Mich. Rar.*

17. Alſine maritima annua glabra, ſive Spergula marina media, foliis longioribus anguſtis ſucculentis, floribus pentapetalis purpuraſcentibus ferme ſine pediculo, petalis ſubrotundis integris lineam longis, ſemine exiguo non marginato Mich. Rar. *In paluſtribus Agri Liburnenſis, praecipue in veſtigiis Portus Piſani inveni.*

Quedam ad ALTHAEAS *ſpectantia habes inferius in adnotatis ad* Malvae *ſpecies.*

Pag. 6.

Pag. 6.

ALYSSO 3. *ſubiunge.*
Petala florum alba ſunt, & biſida: ſiliqua autem oblonga eſt, trilinearis.

ALYSSO 4. *ſubiunge.*
Petala florum alba ſunt, & integra. Ob ſiliquarum formam ſpeciem hanc, & ſuperiorem ad Camelinae *genus revocavit Michelius Rar.*

AMARANTHO 3. *ſubiunge.*
Planta annua eſt, foliis macula ſagittata alba Perſicariae inſtar diſtinctis ornata. Plures florum ſpicas ramoſas profert, quarum medietas ſuperior floribus maſculinis, ſeu ſterilibus tantummodo onuſta eſt. Hi ad centrum uſque dividuntur in quinque acutas ſectiones cochlearis inſtar excavatas, in aculeum inerme deſinentes, externe virides, intus vero candicantes, calycis Nympheae *albae florum ad inſtar, & ſtamina quinque alba apicibus citrinis inſtructa in ſinu gerunt. Inferiori ſpicae parti confertim adhaerent flores feminini, ſeu embryonem foventes, quorum perianthium dimidio minus eſt quam ſterilium. Germen bovini cranii forma, album, hirſutum, duobus corniculatis tubis in apice munitur. Capſula horizontaliter dehiſcit, & unicum ſemen nigrum ſplendens includit.*

AMARANTHO 5. *ſubiunge.*
Flores maſculinos, ſeu ſteriles in hac planta nullos inveni; ſed eorum vicem gerunt ſquamae coloratae criſtam efformantes: feminini vero, ſeu fecundi calycem habent tribus linearibus, & acutis foliolis conſtantem, quorum duo corollam arcte complectuntur; medium vero ſimul cum breviſſimo pediculo florem ſubſtinente erumpit. Corolla quinque, vel ſex foliolis conſtat lineas duas cum dimidia longis, in acumen deſinentibus, rubris, margine albo donatis. Stamina quinque ſunt, capillaria, rubra, longitudine calycem aequantia, circa centrum coalita, & ſaccum globoſum membranaceum efformantia, in quo Embryo nidulatur tuba exerta per foramen apertum in ſacci ſummitate, quo loci ſtamina divaricantur. Apices carnei ſunt, Tubae ſtigma ſimplex. Embryo creſcens ſaccum deſcriptum diſtrahit, baſin verſus comprimit, talique via ſibi facta erumpit, & abit in capſulam globoſam lineari ferme diametro, ſtilo ſeſquilineari in vertice donatam, tranverſa trifariam dehiſcentem, & 7. vel 8. ſemina ſplendentia fundo affixa continentem.

6. Amaranthus caudatus Phytanozaic. Tab. 59. *Amaranthus maior ſerotinus arboreſcens nutantibus roſeis flagellis, ſemine carneo Barr. Ic.* 663. Diſcipline *vulgo.*

7. Amaranthus tricolor luteus ruber viridis H. Eyſt. Aut. o 2. f. 6. f. 1. Phytanozaic. Tab. 94.

8. Amaranthus tricolor luteus albus & viridis Phytanozaic. Tab. 95.

De AMBERBOI ſpeciebus *V. adnotata ad* Cyanum *pag.* 31.

AMBROSIAE *ſubiunge.*
Flores huius plantae in ſpicam digeſti duplicis naturae ſunt, alii nempe maſculini, alii feminini: maſculini ſuperiori caulis, ramulorumque parti adfixi,

calycem

calycem habent campanulatum in ore dentatum, Thalamo ſeu placentula in centro donatum, e qua erumpunt 35. *circiter floſculi totam calycis cavitatem occupantes. Floſculi hi monopetali ſunt, lutei, ad medium uſque conici & ſolidi, deinceps ampliantur, concavique evadunt, rurſuſque coarctantur, ita ut ovales quodadmodo appareant quinquefariam in apice ſciſſi ſectionibus acutis. Ex horum fundo tuba ſurgit, quam ſtipantur quinque brevia ſtamina apices praelongos biventres, tubamque reſpicientes, gerentia, & in cuſpidem lanceatam deſinentia. Tandem ſingulorum ferme floſculorum baſi adnaſcuntur filamenta quaedam peculiaria, ſuccoſa, tortuoſa capreolorum inſtar, ſuperficie ſcabra, ſeu verrucoſa, quae longitudine floſculos nonnihil excedunt.*

Pag. 7.

ANEMONI. 1. *ſubiunge.*

Huius flores petala duodecim proferunt unciam longa, lineas tres vel 4. *lata.*

ANEMONI. 2. *ſubiunge.*

Serotina eſt; folia Aconiti profert coniugata; ramuſculos item coniugatos. Flores calyce deſtituuntur, & ſex vel ſeptem petalis conſtant leucophaeis, externe hirſutis, interne glabris & concavis. Embryo fragaeformis, glaber, pluribus ſtaminulis vireſcentibus ſtipatur, apice lanceolato inſtructis.

ANONIDI. 3. *ſubiunge.*

Eſt Cicer ſylveſtre Theriacaria vocatus Caeſalp. 238. *Ononis in montibus Senenſibus Spigelii Iſagoge in Rem Herbariam lib.* 1. *cap.* 18. *Planta annua eſt decem plerumque uncias alta, tenuibus, & fibroſis, lignoſis tamen radicibus praedita. Ramulos plures quaquaverſum emittit, & ferme in globum diffunditur. Univerſam eius ſuperficiem, exceptis florum petalis, breviſſimi, teretes ac pellucidi pili veſtiunt, e quorum ſummitate erumpit exiliſſima guttula Balſami pellucidi, odoris medicati ad Theriacam accedentis. Balſamum hoc unice plantam odoratam facit, illo enim deterſo, nullum alium niſi herbaceum odorem habebis. Extillare ipſum in maiori copia obſervavi in planta adulta, & tempeſtate ſicca; Auguſto vero menſe, dum planta ferme effeta eſt, denſius, & ferme cereum apparet, colorem luteſcentem aſſumit, gravius olet, & plantae etiam ſiccae diu adheret, ut notavit Spigelius. Folia primaria terna ovalia ſunt, novem lineas longa, quinque lata, in ambitu ſerrata, molliſſima, Ciceris foliorum aemula, ut Ceſalpinus recte adnotavit, & alternatim diſpoſita, ad baſim praeterea appendices duas habent acuminatas, quae conniventes nodum cingunt. Ex harum ſinu ad angulum ferme rectum erumpit capreolus, ſeu pediculus teres, rectus, & ſeſquuncialis, in aculeum inermem, quem Caeſalpinus appendicem vocat, deſinens, qui ad decem linearum ab origine diſtantiam pediculum ſecundarium linearem emittit, cui flos pendulus adfigitur. Flos dilute luteus eſt, vexillo quatuor lineas longo, duas, dum expanſus eſt, lato, alis ſeſquilinearibus. Calycis quinquefidi ſectiones longae, & acutae florem quodadmodo occultant. Siliquae ferme cilyndricae ſunt, ſemunciam longae, ſeſquilineari diamentro, & ipſae pendulae, ac laeves. Semina tandem Aphacae ſimilia ſunt, rotunda, ſubflava. In Agro Florentino locis ſterilibus abunde provenit: Ruſtici* Millaghera, *vel* Erba bacaia *vocant eius enim pulverem adverſus Lumbricos*

bricos exhibent felici, ut aiunt, eventu, quemadmodum animadvertit etiam Caeſalpinus. Praeſtantiores tamen, ni fallor, in Medicina habere poſſet uſus, praeſertim in morbis Nervorum.

4. Anonis Aſiatica fruteſcens, floribus luteis amplis Inſt. R. H. 409. Boerh. Ind. Alt. H. Lugd. Bat. II. 34.

Pag. 8.

ANTHEMIDI 3. *ſubiunge:*

Aeſtate Anni 1744. *ſemifloſculos coronales protulit, non floſculis diſcoideis concolores, nempe aureos, ſed pallidos, albidosve, lingua lineari rotunda inſtructos.*

ANTIRRHINI *ſpecierum nomina ita emendari debent.*

1. Antirrhinum maius Italicum ſempervirens, Leucoii ſilveſtris folio anguſtiori, flore maiore rubro cum rictu ex albo pallido. *Antirrhinum I. Matth.* 1255. *Ed. Valgr. Ital. in fol. A.* 1585. *Os Leonis vulgo, Linariae folio, flore roſeo Caeſalp.* 350. *Mich. Rar. In moenibus Urbis noſtrae in quibus Caeſalpinus etiam obſervavit, copioſe provenit & perennat. Folia inferiora tres uncias longa ſunt, utrinque acuminata, quatuor lineas lata, & ferme rhomboidalia; ſuperiora vero, & ramorum ſecundariorum, dimidio minora. Flores* 15. *lineas longi ſunt, galea vero* 8. *lata. Calyx in quinque bilinearia foliola dividitur; fructus tandem lineas ſex longus eſt.*

Huius varietas eſt Antirrhinum *ſecundo loco deſcriptum, cuius synonyma ex Michelii Rar. ſunt: Antirrhino* II. *Matth.* 1256. *Os Leonis vulgo Linariae folio, flore albo Caeſalp.* 350. *Ex iisdem moenibus in quibus ſponte provenit, in Hortum translatum eſt, ſimul cum inſequenti.*

Idem flore purpureo dilutiore, & fere albicante.

Species tertia florem purpureum ſaturatiorem profert, variatque rictus colore albo & aureo.

4. Antirrhinum maius Italicum brevioribus & latioribus foliis ſubhirſutis, amplo palleſcente flore. *Os Leonis foliis brevioribus latiuſculis ſubhirſutis, floribus palleſcentibus Caeſalp.* 350. *Antirrhinum luteo flore C. B. Pin.* 211. *Inſt. R. H.* 168. *Antirrhinum latifolium pallido amplo flore Barr. Obſ.* 20. *num.* 190. *Icon.* 556. *Bocc. Muſ. part.* 2. 49. *Tab.* 41. *Inſt. R. H.* 168 *Mich. Rar. Flos quatuordecim lineas longus eſt, palleſcens, labio ſuperiori bifido, interne venis rubris diſtincto; inferiori circa rictum aureo, quadrifariam ſciſſo, cordato, villiſque pellucidis obſito. Notari meretur flores antequam pateſcant foliolo cochlearis inſtar excavato occultari. A pluribus annis in Horto colitur; ſponte autem, & lætiſſime germinantem inveni circa Stazzemam Pagum Comitatus Petraſanctani.*

APARINE 3. *ſubiunge.*

Eſt Aparine annua minor foliis brevibus lineam circiter latis, ſpinis creberrimis deorſum ſpectantibus in margine munitis, floribus albis, ſeminibus aſperis Mich. Rar.

Aparine 4. *eſt* Aparine annua minor foliis brevibus, ſpinulis rarioribus perexiguis ſurſum ſpectantibus in margine munitis, floribus albis, fructu verrucoſo Eiusd.

5. *Tan-*

5. *Tandem eſt* Aparine minima annua foliis tres lineas longis, ſemilineam latis, in margine ſpinulis ſurſum ſpectantibus munitis, floribus obſolete purpureis, fructu ſubaſpero Eiusd.

APHACAE *ſubiunge*.

2. Aphaca ſemine nigro Caeſalp. 236. Aphaca Lob. Icon. 70. Inſt. R. H. 399. *Siliquas longiores, & graciliores quam ſuperior profert*.

Pag. 9.

APOCYNO 4. *ſubiunge*.

Planta ferme arborea, ſi caudicem ſpectes, videri poteſt; truncus tamen per ſe non ſubſiſtit, ſed varias arbores complectitur. Sarmenta vetuſtiora cinerea ſunt, iuniora autem virentia, & foliis coniugatis ſubrotundis, ſeu potius cordiformibus veſtita. Verno tempore in ramulis recentibus ex alis foliorum ramuſculus prodit in quatuor alios ſubdiviſus, quorum ſinguli quinos flores pediculis quinque linearibus fulctos ſubſtinent. Flores campaniformes, multifidi fig. C. Tab. 20. Inſt. R. H. ſimiles, ad centrum uſque ſciſſi, ſegmentis lineas quatuor longis, lineam ubique latis, & in vertice rotundatis, candidi primum ſunt, effeti vero palleſcunt. In eorum centro embryonis exiguum rudimentum nidulatur pyramidatum, ex duabus ſiliquis invicem appreſſis conſtans, ad cuius baſin quinque adnaſcuntur antherae luteſcentes, & in apicem foliaceum deſinentes. Stipantur hae ſtaminulis quinque breviſſimis, complanatis, pellucidis, in quorum ſummitate apices reperire nullatenus contigit: nullum propterea odorem ſpirant, & ſteriles ſunt flores hi, nec unquam, quod ſciam, fructum protulerunt, eo fortaſſe quia pro lubitu ſumma arborum faſtigia conſcendere Planta non poteſt. Idem prorſus accidit Periplocae foliis oblongis Inſt. R. H. *quemadmodum pluries obſervavi in nemoribus Agri Piſani, praeſertim* la Fagianaia, & le Caſcine *dictis; eae ſiquidem Periplocae plantae, quae celſiſſimas arbores conſcenderant, folia ampliſſima ferme rotunda, flores innumeros, ſiliquaſque plurimas Nerii ſimiles proferebant; contra vero illae quae tali fulctura carebant, ſtrigoſae erant, ſteriles, & folia oblonga anguſtaque gerebant*. Granadilla *item deſcripta pag.* 46. Bignonia Fraxini folio, Vitis Canadenſis quinquefolia ſcandens; *quinimmo plures aliae Plantae ſcandentes laete non virent, & fructus nullatenus perficiunt niſi faſtigia ſumma petierint, & libero aere perfruantur. Phaenomeni huius cauſas, & corollaria quae ad Agriculturam perficiendam peti inde poſſunt, Phyſicis relinquo, adnotare contentus Apocynum noſtrum radicum repentium ope hactenus propagatum fuiſſe. Planta tota foetidiſſima eſt, & lac ſubpallidum inſipidum vel leviſſima inciſione fundit. Unde nam in Hortum translata fuerit, ignoramus, iam enim ibi colebatur An.* 1718. *quo Hortus Societati Botanicae datus fuit, & fortaſſe aliqua eſt ex plantis a Caſabona delatis; eius namque ſceleta obſervavi in quibusdam Herbariis ſaeculo ſuperiori confectis. Plurimum accedit figurae & deſcriptioni* Apocyni primi latifolii Cluſ. Rar. 124. Bauh. in Matth. 774. *& deſcriptioni* Periplocae Syriacae non repentis Caeſalp. 119.

5. Apocynum Americanum foliis Androſaemi, flore Lilii convallium ſuaverubentis Par. Bat.

6. Apocynum ex Barbados nomine Radicis Indicae miſſum D. Dillenii.

AQUIFOLIUM, ſive Agrifolium vulgo I. B. 1. 114. Inſt. R. H. 600.

De ARISARO 2. *Vide inferius adnotata ad* Arum, *eique ſubiunge*.

3. Ariſarum flore in tenuem caudam abeunte Inſt. R. H. 160. *Ariſarum minus proboſcideum Bocc. Obſ. Muſ. Part.* 2. 61. *Tab.* 50. *Ariſarum latifolium minus repens ceſpitoſum Bar. Obſ.* 19. *n.* 182. *Icon.* 1250.

ARTEMISIAE 3. *ſubiunge*.

Specierum harum flores, ſeu corymbi conici ſunt, calyce ſquamoſo muniti. Floſculi autem duplicis formae ſunt; tres ſiquidem in quolibet capitulo includuntur perfecti, octo autem imperfecti, ut vocant, ſeu tubo unico donati, e quo embryonis ſtilus divaricatus erumpit. Thalamus conicus eſt, & nudus, cui floſculi immediate adhærent nullis ſquamis ſeu diſſepimentis intercedentibus.

ARTEMISIAE 4. *ſubiunge*.

Planta inſipida eſt, & caules nitidos rubentes profert. Folia iuniora Verno tempora hirſuta ſunt, & Abrotani maris ſimilia; in Aeſtate vero atrovirentia, glabra, & quaſi ſplendentia. Capitula profert exigua, pyramidata, erecta, in quibus floſculi duplicis naturae, quemadmodum in ſuperioribus ſpeciebus continentur.

5. Artemiſia tenuifolia caulibus rubentibus Vaill. in Act. Acad. R. Sc. 1719. pag. 376. num. 7.

Pag. 10.

ARI *ſpeciei* 1. *ſubiunge*.

Fructus protulit A. 1740. *Ari vulgaris ſimiles, ſed maiuſculos, acuminatos, & luteſcentes. Flores odore non inſuavi ſe commendant: An igitur eſt* Arum Aethyopicum flore albo odorato Commel. H. Amſtel. T. I. 95. Arum Aethyopicum flore albo odorato Moſchum olente Boerh. Ind. Alt. H. Lugd. Bat. P. 2. 74. Phytanozaic. Tab. 174.

ARO 2. *ſubiunge*.

In huius, & trium inſequentium ſpecierum flore adnotari meretur Spadicis graciliori parti adnaſci ſeries aliquot papillarum, quae craſſiuſcula hirſutie pubeſcunt, & in oblongum, ac praetenue filamentum terminantur, exiguo deinde intervallo ſuccedere ſeries aliquot apicum, ſeu corporum pyramidalium, quæ quatuor tubis conoideis cavis invicem adnatis, & in apice perforatis conſtant; e quatuor autem foraminulis hiſce erumpere pulviſculum ſeminalem, qui in tuborum cavitate nidulatur; aequali deinde intervallo alias papillarum prioribus ſimilium ſeries ſpectari, quas immediate ſubſequuntur embryones imam ſpadicis, ſeu piſtilli partem occupantes.

ARO 6. *ſubiunge*.

Saepius flores protulit, quorum ſtructura a ſuperiorum ſpecierum floribus abludit. Spatha quidem Ari vulgaris facie eſt, ſed craſſior, ferme coriacea, & undulata, colore luteo extus ſaturo, intus dilutiore. Ex eius *baſi convoluta erum-*

erumpit penis exiguus acuminatus, caudae murinae ſimilis, ochroleucus, cuius baſi confertim adnaſcuntur plurimae ſeries apicum, ſeu antherarum, quae conſtant quinque, ſex, vel ſeptem filamentis, vel tubis invicem connexis, in inferiori parte communi quodam brevique pediculo fulctis, in ſuperiori vero excavatis & dilatatis, ut floſculum exapetalum quodadmodo referant. Has inter, & embryonum ſeries ſpectantur aliquot, ſed laxiores, ſeries corpuſculorum (quæ Nectaria appellare poſſis) conicorum, ex anguſta baſi ſenſim craſſeſcentium, & in haemiſphaerium granulatum deſinentium. Haec immediate conſequuntur ſeries embryonum, quibus admixta cernere eſt aliquot ex ſuperius deſcriptis Nectariis. Embryones autem globoſi, brevi ſtigmate in ſummitate inſtructi, abeunt in baccam unilocularem exilibus, oblongis, ac ferme cylindricis ſeminibus fetam. Planta, utpote iuxta rivulos naſci ſolita, in fictilibus non perforatis, ac uberrime irrigatis colitur, & laetiſſime germinat; Hieme vero, quo tempore foliorum decore orbatur, & veluti mortua apparet, in hibernaculo adſervatur, rariuſque irrigatur.

7. Arum Scorzonerae folio Inſt. R. H. 160. *quod ſuperius pag.* 9. *inter* Ariſari *ſpecies num.* 2. *deſcriptum fuerat.*

Pag. 11.

ASPARAGO 2. *ſubiunge.*

Folia capillaria ſunt, lineas 7. *longa. Flores plerumque duo, raro tres e ſingulis nodis pendent. Eorum pediculus capillaris lineas quatuor cum dimidia longus, duobus ſegmentis articulatis conſtat, quorum prius portio, ſeu ramulus plantae eſt, poſterius autem, & trilineare, floris propago. Flos monopetalis potiore iure accenſendus, pendulus ſemper eſt, lineas tres longus & quodadmodo cylindricus, lineari diametro. Petala ad baſim coalita tria exteriora herbacea, ſeu lurida, & acutiora ſunt, tria vero interiora latiuſcula, in ſummitate dilatata, & alba. Stamina pariter alba e fundo floris egredientia, & petalis ad medium uſque inſerta, intra florem latent, & apices luteos ſuſtinent pulviſculo aureo refertos.*

ASPARAGO 3. *ſubiunge.*

Flos die 1. *Maii obſervatus, ſtrigoſior quam ſubſequentis ſpeciei apparuit;*

ASPARAGO 6. *ſubiunge.*

Flores fructuſque protulit Vere Anni 1740. *& eorum ſtructuram in peculiari ſcheda adnotavi, quam neſcio quomodo amiſi; ſed, ni male memini, ad Smilacis potius, quam ad Aſparagi ſpecies plantam hanc referendam eſſe cognovi.*

ASPHODELO 4. *ſubiunge.*

Aprilis initio flores profert in praelongis ſpicis digeſtos, Liliaceos monopetalos, in ſex partes ad centrum uſque ſciſſos, quarum quinque erectae ſunt, ſexta vero & inferior pendula; omnes autem retro reflexae, luteae, nervo viridi utrinque conſpicuo per medium diſtinguuntur. Stamina ſex, & embryonis ſtilus in apice bifariam ſciſſus, falcata pariter ſunt. Speciem. 5. *in Horto Elthamenſi deſcriptam, & affabre pictam cernere eſt pag.* 310. *&* 231.

Pag. 12.

ASTERI 10. *ſubiunge.*
Semina villoſa & pappo inſtructa profert, thalamo cellulato affixa.

ASTERI 11. *ſubiunge.*
In ſingulis floribus duodecim, vel quindecim ſemifloſculos coronales gerit.

ASTERI 14. *ſubiunge.*
Annuus eſt, corona floris roſea, vel purpurea, diſco aureo.
15. Idem corona candida.
16. Aſter ramoſus annuus Canadenſis H. R. Bleſ. 236. Inſt. R. H. 482. *Leucanthemum Bellidis facie, umbelliferum, ſemine papposo Boerh. Ind. Alt. H. Lugd. Bat. part.* 1. 108. *num.* 11. *Vaill. in Act. Ac. R. Sc.* 1720. *pag.* 404. *num.* 45.
17. Aſter annuus flore papposo rubente: ſub hoc titulo ex Sibiria miſſus D. Amman.
18. Aſter maritimus Salicis folio longiore & anguſtiore peracuto, floribus caeruleis parvis, ſemifloſculis copioſioribus. *An Aſter Salicis folio, flore caeruleo, radice repente Mor. Hiſt. Oxon. part.* 3. *ſect.* 7. *Tab.* 22. *fig.* 26. *Amellus Virgilii Matth.* 1734. *Ed. Valgriſ.* 1585. *in f. Tripolium Camerarii Hort.* 179. *Mich. Rar. ex Inſulis Venetis adtulit Michelius.*
19. Aſter montanus luteus, Salicis glabro folio. C. B. Pin. 266. *Aſter Acticus alter in ruderibus Caeſalp.* 469.
20. Aſter montanus luteus ſubhirſutus nigrovirente folio Mich. Rar.
21. Aſter paluſtris parvo flore globoſo Inſt. R. H. 483. *Aliquas ex his Aſteris ſpeciebus Vaillantius ad* Helenii *ſpecies revocavit in Actis Ac. R. Sc. A.* 1720. *pag.* 391.

ASTEROIDI 1. *ſubiunge.*
Plantam hanc Michelius Rar. Vaillantium ſequutus ad Aſteriſci *genus revocavit, appellavitque:* Aſteriſcus perennis, villoſus, ſerratus, imo calyce non folioſo Vaill. in Act. Ac. R. Sc. A. 1720. pag. 430. num. 10. *Aſteriſcus calyce brevi, anguſtifolius Boerh. Ind. Alt H. Lugd. Bat. part.* 1. 105. *n.* 10. *Aſteroides hirſuta latifolia Patavina Micheli H. Piſ. Aſter luteus maior foliis Succiſae C. B. Pin.* 266. *Aſter III. Auſtriacus Cluſ. Hiſt. XIII. In Planitie quae ad radices Collium Arquae in Agro Patavino eſt, inveniſſe ſe ait, & exempla etiam ex Agro Viennenſi accepiſſe. In Adverſariis autem alterius operis quibus paucis ante mortem menſibus incumbebat, diverſam fecit ab Aſteriſco Vaillantii, eo quod illa ſquamas, quae ſemina ab invicem diſtinguunt ariſtatas proferat, hic vero partim ariſtatas, partim retuſas, & veluti laceras.*

ASTEROIDI 2. *ſubiunge.*
Lin. 2. ſemilineam latis, *corrige* ſeſquilineam latis. *In libro Rar. Michelius huic nomen fecit:* Aſteriſcus Alpinus Salicis folio anguſto, & ſubhirſuto, flore minore, calyce nudo, &c. *Praeter Bocconii ſynonymon aptari hoc etiam ei poſſe ſuſpicatur:* Aſteriſcus alpinus ſimplici caule, floribus luteis Caeſalp. 496. *Fo-*

lia

lia Menſe Februario circa radicem renaſcentia anguſta erant, hirſuta praeſertim in margine, quaedam ſubinde dentata, ſive verrucis veſiculiſque Balſamo rubente repletis donata, non ſecus ac in Hyperici petalorum margine accidit. In Alpibus Petrae Apuanae ſponte provenit.

ASTEROIDI 3. *ſubiunge.*
Semilineam circiter latis, *corrige* lineam circiter latis.
Hanc quoque ad Aſteriſcum revocavit Michelius, aitque aptari illi poſſe iconem Aſteris Montani flore luteo magno, hirſuti, quibusdam Oculus Chriſti I. B. 2. 1046. Folia prima Februario Menſe obſervata maiora quam ſuperioris ſunt, ex anguſto principio magis dilatata, hirſuta, & verrucis, veſiculiſque ſimilibus donata.

Pag. 13.

ASTRAGALO 6. *ſubiunge.*
7. Aſtragalus purpureus perennis ſpicatus Pannonicus Mor. Hiſt. Oxon. part. 2. 106. Inſt. R. H. 415.
8. Aſtragalus pumilus ſiliqua Epiglottidis forma Inſt. R. H. 416.
9. Aſtragalus Orientalis altiſſimus, Galegae foliis amplioribus, flore parvo flaveſcente Coroll. Inſt. R. H. 29.

ASTRANTIAE *ſubiunge.*
Atractylis lutea C. B. Pin. 379. Vaill. in Act. Ac. R. Sc. 1718. pag. 217.

ATRIPLICI 4. *ſubiunge.*
Semen unicum in pericarpio quolibet continetur cochleatum iſtar ſeminis Kali Gramineo folio, ſeu Chenopodii maritimi ſemine ſplendente, incluſum folliculo lentiformi in baſi tantummodo pervio, ac tuba bifurcata inſtructo: Flos hermaphroditus lacinias acutas habet.

ATRIPLICI 5. *ſubiunge.*
Flores profert unius tantum formae, hermaphroditos nempe. Calyx conſtat duobus foliolis vireſcentibus, cucullatis, ad baſin coniunctis, & pelvin quamdam conſtituentibus, e qua embryo ſurgit ellipticorhomboidalis compreſſus, ſtylo ac ſtigmatibus laciniatis munitus: ſtipatur hic ternis ex utroque latere ſtaminulis ad originem pyramidatis, & apices carneos ſubſtinentibus. Ambiunt haec petala, ſeu foliola duo elegantiſſima, candida, cochlearis inſtar excavata, quae initio expanſa ſunt Circeae florum inſtar, deinde vero eriguntur, & invicem adpreſſantur, adeout embryonem matureſcentem claudant, quemadmodum ceteris Artiplicis ſpeciebus contingit.
6. Atriplex hortenſis alba, ſive pallide virens C. B. Pin. 119. Inſt. R. H. 505. Spinacione *vulgo. Duas huius varietates obſervaſſe me memini, unam nempe perianthio diphyllo floris feminei acuminato, alteram eo rotundo. Notari meretur ad floris feminei baſin duos ex utroque latere floſculos hermaphroditos naſci, minimos, herbaceos, monopetalos rotatos, quinquefariam ſectos, & ſtaminulis quinque donatos apicem ſubſtinentibus, ac ex inciſuris florum prodeuntibus. Floſculi hi plerumque ſteriles ſunt; in nonnullis tamen embryo abit in fructum orbicularem depreſſum nigrum, quem laciniae florum arcte amplexantur.*

Pag. 14.

AURANTIO 14. *ſubiunge*.

12. Aurantium foliis anguſtis ex flavo albo & ſubluteo variegatis, fructu ſubrotundo ſeſſili luteo, coſtis vireſcentibus, cortice trilineari amaro, ſucco acido. *An Aurantium virgatum anguſtifolium Inſt. R. H.* 620. *Malus Aurantia anguſtioribus foliis, & fructu variegatis H. L. Bat. Aurantium virgatum multiformi folio, fructuque ſtriato Clarici Iſtor. e Colt. delle Piante* 738. *Arancio con frutto, e foglia variegata Wolkam Heſp. Norib. T.* 2. 193. Arancio Turco *vulgo* Mich. Rar.

16. Aurantium Laurinis foliis H. Piſ. *Malum Aurantium Lauri anguſtis foliis Bocc. Rar.* 3.

AZEDARACH *ſubiunge*.

Praecox eſt; floris item petala caerulea profert, & nectarium ſaturocaeruleum; proindeque diſtinguenda eſt ab inſequenti ſpecie, quae ſerotina eſt, petalaque habet albida, vel dilute carnea, trilinearia, in acutum apicem deſinentia, & externe nervo rubente notata; Nectarium tandem nigro purpureum.

2. Azedarach foliis ramoſis amplioribus, flore albo, vel carneo. *Pſeudoſycomorus H. Eyſt. Aut.* o. 1. *f.* 2. *Tuber, quam vulgo falſum Sycomorum vocant Caeſalp.* 107. *In pluribus Etruriae locis, ac praeſertim in nemoribus Aucupariis laetiſſime ambae proveniunt, & folia vel hieme retinent, licet peregrinae ſint.*

BALSAMITAE 1. *ſubiunge*.

Floſculi integri & unius omnes formae ſunt, invicem ſtipati, nulliſque foliolis, ſeu ſquamis ab invicem diſtincti. Folia adulta alveolis quibusdam referta conſpiciuntur villo incurvo in margine munitis, in quorum fundo glandula haemiſphaerica nidulatur, e qua Balſamum peculiare pellucidum exſudat, quod odoris plantae ſedes eſt, & a Sole inſpiſſatum luteſcentem colorem aſſumit, reſinaeque inſtar concreſcit. Exſudat vero potiſſimum Aeſtatis initio, dum folia non nimis tenera ac ſuccoſa ſunt.

BALSAMITAE 2. *ſubiunge*.

Floſculi ſimiles ſuperioribus ſunt, verum ii qui floris peripheriam occupant, foliolis quibusdam imbricatis, & acuminatis ab invicem diſtinguuntur.

BARBAE CAPRAE 1. *ſubiunge*.

Flos ſeſquilineam longus petalis quinque conſtat ex anguſto principio ſenſim dilatatis ac rotundatis, & cochlearis inſtar excavatis. Calyx ſtellatus eſt, ſive in quinque acutas lacinias diviſus. Dum haec fructus ad maturitatem perducit, ſequens ſpecies flores ſuos explicat, qui petalis ferme ovalibus componuntur, & ſtaminulis duodecim circiter albis, apice luteolo munitis, adeo exilibus ut vix a centro ſe attollant, & nudum oculum eludant.

Pag. 15.

BARBAREAE 2 *ſubiunge*.

Reſpondet figurae Eurucae Paluſtris Lugd. 650. *& Herbae S. Barbarae Caſt.* 287. *ut*

287. *ut adnotavit Mich. Rar. Petala florum cordata ſunt, duas lineas longa, unam lata; ſiliquae autem unciam circiter longae ſunt.*

BARBAREAE 4. *ſubiunge.*

Eadem eſt cum Siſymbrii ſpecie 8. per errorem deſcripta pag. 90. *Ad hoc Barbareae genus pertinent aliae quoque Siſymbrii ſpecies ibidem deſcriptae ſub numer.* 5. 6. *&* 7.

BELLIDI *ſubiunge.*

2. Bellis hortenſis flore pleno, eoque magno, albo C. B. Pin. 261. Inſt. R. H. 491.

3. Bellis hortenſis flore pleno, eoque magno, vario C. B. Pin. 261. Inſt. R. H. 491.

BERMUDIANAE *ſubiunge.*

2. Bermudiana Graminea flore minore caeruleo H. Eltham. 49. Tab. 41. fig. 49.

BETONICAE 4. *ſubiunge.*

Odorem Chamaedryos vulgaris ſpirat. Folia utrinque acuminata ſunt, uncias duas plerumque longa, lineas novem lata. Flores verticillatim digeſti ſunt, eorumque labium ſuperius intus & extra candidum eſt, in margine autem circa fauces punctulis ſanguineis notatum; inferius e luteo palleſcit. In ceteris convenit cum deſcriptione Raii Hiſt. T. 1. 566. *Figura Alyſſi maioris Tabern. Ic.* 541. *optima eſt.*

5. Betonica maior Danica Inſt. R. H. 203.

6. Betonica maritima (Salviae folio) flore ex luteo palleſcente Inſt. R. H. 203. *Sideritis Heraclea latifolia Dioſcoridis. Sideritis marina Salvifolia noſtra Donat. Bocc. Muſ.* 164. *Mich. Rar.*

BIDENTI 1. *ſubiunge.*

Semina Sphondylii ſeminum ſimilia ſunt, duas lineas longa, tranſverſim ſita, & ſquamis canaliculatis in aculeum deſinentibus ab invicem diſtincta.

Pag. 16.

BIDENTI 6. *ſubiunge.*

Semina lineas quatuor longa ſunt, duas lata, ariſtis ſeſquilinearibus munita, circulariter diſpoſita, & ſquamis foliaceis ab invicem diſtincta.

BIDENTI 9. *ſubiunge.*

10. Bidens paluſtris annua, caule anguloſo, foliis oblongis ſerratis, non diviſis, flore parvo luteo minus ſpecioſo & erecto, ſemine binis ariſtis munito. *Bidens folio non diſecto Caeſalp.* 488. *an Eupatorium Cannabinum femina Septentrionalium ſtellato & odorato flore Lob. Ic.* 528? Mich. Rar.

11. Bidens paluſtris annua, caule rotundo, imum verſus nonnihil hirſuto, ac purpuraſcente, folio Salicis longiore & anguſtiore, nitido, ſemunciam lato, & nonnihil ſerrato, flore ſpecioſo aureo nutante, ſemine quatuor ariſtis armato. *An Eupatorium Cannabinum chryſanthemum Barr. Icon.* 1209. ? *Mich. Rar.*

Utram-

Utramque attuli A. 1742. e Paluſtribus Blentinenſibus, in quibus laetiſſime proveniunt, floreſque Octobri Menſe explicant.

12. Bidens paluſtris annua foliis ſubrotundis, latioribus, imis plerumque trilobatis, ceteris integris, flore luteo minus ſpecioſo, ſemine binis ariſtis armato Mich. Cat. Plant. A. Flor. *In ſalictis Arni fluvii prope Uniani Pagum repertam in Hortum olim tranſtulit Michelius, quum autem periiſſet, attuli ego A. 1743. e Paludibus inter Petramſanctam & Maſſam Roſam obviis, ubi copioſe germinantem inveni ſimul cum ſequenti.*

13. Bidens quae Verbeſina paluſtris annua, caule rotundo purpuraſcente, foliis Salicis coniugatis & ſerratis, flore luteo radiato, ſemifloſculis ſterilibus. *Eupatorium aquatile folio non diviſo, flore aureis undique petalis radiato Lael. Triumph. apud Fratrem* 63. Mich. Rar.

BLATTARIAE 1. *ſubiunge.*

Flores ampliores quam ſequentium ſpecierum ſunt: ſtamina, & lanugo qua ipſa ſtipantur purpurea eſt, apices autem crocei. Villi quibus ſpicae florum in hac, & ſequentibus ſpeciebus veſtiuntur, vaſcula excretoria ſunt, e quorum ſummitate Verno & matutino tempore ſuccus quidam pellucidus, & nonnihil glutinoſus exſudat.

Pag. 17.

BLITO 2. *ſubiunge.*

3. Blitum totum purpureum, ſpicatum, latifolium, erectum, foliis Betaceis acuminatis, calyce pentaphyllo, ſemine ſpadiceo ſplendente. *Figurae Bliti Cam. Epit.* 233. *& Bliti maximi, ſive Amaranthi maioris I. B.* 2. 968. *huic perbelle aptari poſſunt. Mich. Poſt. Flores maſculini lineares ſunt, rubri, foliolis quinque ovatoacuminatis conſtantes, & ſtaminulis quinque albis apices luteos ſubſtinentibus inſtructi, nullo embryonis veſtigio apparente. Inter acervos florum maſculinorum feminini flores conſpiciuntur; calyces nempe quinquefariam ſciſſi, in quorum fundo embryo nidulatur, filamentis quatuor pennatis in apice inſtructus, qui deinde abit in fructum globoſum Octobri Menſe matureſcentem, bifariam horizontaliter dehiſcentem, valva ſuperiori purpurea, inferiori conſtanter viridi, & ſemen unicum lentiforme erectum includentem. Haec florum ſterilium & fecundorum differentia in ſuperioribus etiam duobus Blitis obtinet; ſed notari meretur ipſorum flores trifariam tantum, non vero quinquefariam diviſos eſſe, ac maſculinos ſeu ſteriles tribus ſtaminibus donari; Embryonis item apicem tribus tantum filamentis inſtructum eſſe.*

4. Blitum fragiferum maximum polyſpermon Amman. Rarior. 166.

BOLETO *ſubiunge.*

Talem Boleti huius deſcriptionem ex Michelianis ſchedis elicui. Pollices ferme quatuor longus eſt, quorum duos pileolus occupat. Pediculus interne cavus, non prorſus albus, ſed leucophaeus, ad radicem ventricoſus, & ſeptem lineas in diametro habens, ſenſim deinde anguſtior fit, praeſertim qua parte extremo pileoli margini ſubeſt. Pileolus autem ſubfuſcus olivarem quodadmodo figuram induit; e margine ſiquidem collecto, pediculoque appreſſo, ſenſim dilatatur, & in acutum faſtigium deſinit, crebris per longitudinem coſtulis ſeu ſulcis undoſis diſtinctus, quos inter frequentes lacunae, ſeu cellulae conſpiciuntur

ſiuntur figura irregulari. Die 30. Martii in Arboreto Horti collegit Michelius.

BRYONIAE *ſubiunge*.
Fertilis, ſeu fructifera eſt. V. Pontad. Anthol. 280. *Florum ſectiones acuminatae lineas tres longae ſunt, unam ferme latae, ex albo palleſcentes; Tuba autem revoluta pelviformis eſt, & quinquefariam ſciſſa.*

Pag. 18.

BUGULAE 4. *ſubiunge*.
Huius folia quandoque inferne purpuraſcunt; ſecundae autem ſpeciei dum tenera planta eſt, viridia prorſus ſunt, dum vero ſeneſcit Menſe Iulio prorſus atrovirentia.

Bupthalmi *ſpecies, quae in Horto coluntur ſic aptius deſcribentur*. BUPHTHALMUM Tanaceti minoris foliis (flore luteo minore) C. B. Pin. 134. Inſt. R. H. 495. *Chrytanthemum in ruderibus Caeſalp.* 444. *Buphthalmo Matth.* 959. *Caſt.* 81. Mich. Rar.

2. Idem flore maiore Mich. Rar.

3. Buphthalmum Tanaceti minoris folio, flore albo Inſt. R. H. 495.

4. Idem maius. *Chryſantemum Tanaceti folio, flore albo, montanum Italicum Barr. Icon.* 466. *an Buphthalmum alpinum flore candido Triumf. Obſ.* 79.? Mich. Rar.

BUPLEUROIDI *ſubiunge*.
Plantae huius, quae hieme Anni ſuperioris periit, florem procul dubio roſaceum, qualemque deſcribit Boerhaavius obſervaße me memini, eiuſque petala ſeorſim ſingula, non autem cohaerentia decidere.

Pag. 19.

CACHRYDI 3. *ſubiunge*.
Eſt Panacis Herculei alterum genus ex Sicilia Caeſalp. 311.

CACHRYDI 4. *ſubiunge*.
Praecox eſt, foliorum lobos profert anguſtiores, nitidos, & quaſi lucidos, ſerratos, umbellaſque albas nudas.

CALAMINTHAE 3. *ſubiunge:*
Utraque foliorum iuniorum facies, praeſertim inferna, nudo oculo inſpecta apparet quodadmodo perforata, per microſcopium vero alveolis rotundis excavata, in quorum fundo glandula nidulatur haemiſphaerica laevis, aſſidue Balſamum pellucidum extillans, quod in guttulas coacervatur, & craſſeſcit, plantamque odoratam facit: Reliqua foliorum ſuperficies rariſſimis villis veſtitur.

CALAMINTHAE 6. *ſubiunge*.
Humilis Planta eſt, in plures ramulos divaricata: Folia lineas decem la-

ta profert, duodecim longa, raris pilis veſtita, & glandulis odoroſis undique conſperſa. Verticilli florum lati & rarius digeſti ſunt, pediculi autem florum lineas ferme quatuor longi ſunt, & calyces ſeſquilineam longi; flores tandem dilute carnei ſunt, tubo quadrilineari inſtructi, ac labio inferiori macula circulari alba, punctuliſque rubris variegato.

CALAMINTHAE 7. *ſubiunge.*

Eſt Thymbra floſculis candidis Dod. Pempt. 288. *Satureia montana floſculis candidis C. B. Pin.* 288. *Satureia durior I. B.* 3. 272. *Thymum Italicum floribus candidis Caeſalp.* 460 *Mich. Rar. Flos quandoque totus niveus eſt, quandoque circa rictum punctis carneis variegatus. Apices initio carnei ſunt, deinde violaceum colorem induunt. In Montis D. Iuliani, & Montium Avanenſium Agri Piſani facie meridionali ipſa etiam hieme tepida, in Alpibus item Lucenſibus Auxeri Fluvio proximis, & in ipſis Petrae Apuanae iugis, licet frigori ferme perpetuo damnatis, laetiſſime in rupium fiſſuris germinat ſimul cum ſequenti ſpecie, ſeu mavis varietate.*

9. Calamintha fruteſcens Satureiae folio facie & odore, flore dilute purpureo. *Satureia montana floribus purpureis C. B. Pin.* 218. *Thymbra floſculis dilute purpureis Dod. Pempt.* 288. *Thymum Italicum floribus modice purpuraſcentibus Caeſalp.* 461. Mich. Rar. *Colore florum vel dilutiore vel ſaturatiore plurimum variat. Utraque autem ſpecies odorem ſuaviſſimum & vivacem ſpirat, cuius ſedes eſt Balſamum, quod larga ſatis copia e Glandulis per totam foliorum ſuperficiem conſpicuis exſudat.*

CALCITRAPAE *ſubiunge.*

2. Calcitrapa Officinarum flore purpuraſcente Vaill. in Act. Acad. R. Sc. 1718. pag. 209. num. 1. *Carduus ſtellatus, ſive Calcitrapa Inſt. R. H.* 440.

3. Calcitrapa Officinarum flore albo Vaill. Ibid. *Carduus ſtellatus, ſive Calcitrapa flore albo Inſt. R. H.* 440.

CALCITRAPOIDI 3. *ſubiunge.*

Floſculi biformes ſunt; marginales nempe ſteriles, tuba deſtituti, quinquariam & inaequaliter ſecti; diſcoidei vero integri, coronati, tuba vaginaque inſtructi. Semina pappoſa non ſunt, verum corolla lineari villoſa ornantur, inſidentque Thalamo villis veſtito.

Pag. 20.

CALTHAE *ſubiunge.*

Planta perennis eſt, ſemperque virens, & fruticoſa. E radice plures emittit caules lignoſos ulnam ferme longos, procumbentes, & extrema tantum parte in altum ſeſe attollentes: folia ipſos undique ornantia craſſa ſunt, valida, integra, ad oras undulata, aut criſpata; iuniora item cuticula ſquamoſa alba decidua in margine veſtiuntur. Baſis foliorum caulem dimidium amplectitur, eorumque coſta per caulis ſuperficiem tantillum propagatur. Flores e ſummis ramulis prodeuntes intus, & extra lutei, unciam lati, ſemifloſculis 23. *coronalibus conſtant, lineas novem longis, tubo hirſuto, linguaque in tres acutas partes leviter ſciſſa; floſculos item diſcoideos gerunt tubo pariter hirſuto donatos. In ceteris, ac praeſertim ſeminum forma, a Caltha vulgari non abludit, ſi villos*

los excipias denſiores, quibus planta univerſa integitur, quique Balſamum non adeo glutinoſum, nec graveolens ut in Caltha arvenſi, & vulgari fundunt.

2. Caltha vulgaris flore pallido C. B. Pin. 275. Inſt. R. H. 498.
3. Caltha vulgaris flore citrino C. B. Pin. 275. Inſt. R. H. 498.
4. Caltha vulgaris flore rufo C. B. Pin. 275. Inſt. R. H. 498.
5. Caltha polyanthos maior, flore aureo C. B. Pin. 276. Inſt. R. H. 498.
6. Caltha polyanthos maior, flore melino C. B. Pin. 276. Inſt. R. H. 498.
7. Caltha prolifera maioribus floribus C. B. Pin. 276. Inſt. R. H. 498.
8. Caltha prolifera maioribus floribus, flore mellino H. R. Par. 35. Inſt. R. H. 498. V. *Vaill. in Act. Acad. R. Sc. A.* 1720. *pag.* 372. Fior rancio *vulgo promiſcue vocantur a colore Mali Aurantii corticem imitante.*

CAMPANULAE 1. *ſubiunge.*
Foetida eſt, glabra, & lacteſcens, floribus caeruleis.

CAMPANULAE 2. *ſubiunge.*
Flores intus piloſi ſunt, inſidentque calyci patulo.

CAMPANULAE 13. *ſubiunge.*
14. Campanula Alpina ſaxatilis, foliis anguſtis ſerratis ſubincanis & tomentoſis, floribus parvis albis in capitulum ſphaericum digeſtis. *Campanula Alpina ſphaerocephalos C. B. Pin.* 94. *Inſt. R. H.* 110. *Trachelium maius petraeum Ponae Bald. in folio CCCXXXIII. I. B.* 2. 801. *Trachelio maiori petraeo Ponae ſimile, ſi non idem I. B.* 2. 802. Mich. Rar. *qui e Monte Baldo attulit.*

CAMPHORATAE *ſubiunge.*
Calyx florum bilinearis eſt, ventricoſus, ore anguſto in quatuor tantummodo partes ſecto, quarum duae ſe invicem reſpicientes ceteris ampliores ſunt. Semen oblongum eſt, ferri Equini figura, ſeu ſeminis Kali hirſuti ſimile; proindeque a charactere Camphoratae *Tournefortiano abludit. In Littore Liburnenſi inter Urbem Montemque Nigrum copioſe fruticat.*

CANNABINASTRO 4. *ſubiunge.*
Floris labium ſuperius integrum eſt, & cochlearis inſtar excavatum; inferius autem in tria ſegmenta diviſum, quorum medium longius eſt, & fimbriatum, lateralia vero exigua, obtuſa, & prominentiis ſtiliformibus circa faucem munita. Piſtillus abit in quatuor ſemina pyramidata, quae nidulantur in calyce campaniformi.

5. Cannabinaſtrum campeſtre annuum foliis oblongis ſerratis ad petiolum rotundatis, flore parvo albo, calycibus brevibus, radiis trilinearibus. Mich. Rar.
6. Idem flore rubente Eiusd. *In Agro Bargenſi in reditu Bargam a Molendino quod Corſonnae Fluvio adiacet, copioſum utrumque inveni florens exeunte Octobri.*

Pag. 21.

CAPRIFOLIO 3. *ſubiunge.*
Flores ſeni e quolibet verticillo ſeu acetabulo prodeuntes ſeſquunciales ſunt,

interne candidi, externe carnei, per ſenectutem flavicantes, odorati, quorum labium ſuperius latius eſt, in quatuor rotundas lacinias eleganter diviſum. Stilus, & ſtamina breviora ſunt quam in praecedentibus ſpeciebus. Semina rotatim poſita, nullis squamis ab invicem diſtinta, ovata ſunt, & eleganter coronata.

CARDAMINE 1. *ſubiunge.*
Radice repente donata eſt, floribuſque albis.

CARDAMINE 5. *ſubiunge.*
Petala obtuſa ſunt, ſeſquilineam ferme longa, ſemilineam lata, & candida: Stamina item candida ſunt, apices ochroleucos ſuſtinentia.

CARDIACAE 2. *ſubiunge.*
3. Cardiaca foliis tenuius & profundius inciſis, villoſa Amman. Rar. 50.

CARDUO 2. *ſubiunge.*
3. Carduus moſchatus flore amplo, capite reflexo Pluk Alm. 83. *Carduus nutans I. B.* 3. 56. *Inſt. R. H.* 440. *Vaill. in Act. Acad. R. Sc. A.* 1718. *pag.* 195. *num.* 1.

Cardui *ſpecies duas in Catalogo deſcriptas Michelius Rar. ad* Cirſii *genus revocavit; Primam autem appellavit* Cirſium paluſtre altiſſimum, Aſphodeli radice, foliis lanceatis, caule alato, capitulis parvis confertis. *Cirſium paluſtre lanceatum, caule alato, polyanthemum Vaill. in Act. Acad. R. Sc. A.* 1718. *pag.* 202. *num.* 14. *Alteram vero* Cirſium parvum annuum, Acanthi folio, flore purpuraſcente.

Pag. 22.

CARLINAE 3. *ſubiunge.*
4. Carlina cauleſcens magno flore albicante C. B. Pin. 380. Vaill. in Act. Acad. R. Sc. A. 1718. pag. 220. num. 3. *In Alpibus Apuanis copioſam inveni, praeſertim circa Mercurii Metalla Leviltanenſia, & Argenti Metalla vulgo* il Bottino *dicta.*

Thalamus, ſeu fundus florum Carlinae duplici ſubſtantia conſtat, quae per ſenectutem facile diſiungitur, quemadmodum in pileolis Suillorum accidit. Inferior enim Thalami pars carnoſa eſt, & per ſenectutem fungoſa; ſuperior vero chartilaginea, & in plurimas cellas quadratas diſtincta, Onopordi *inſtar. Cellulae ſingulae fundum concavum habent, & foramine ovali pervium, quo per arterias ab inferiori parte nutrimentum in ſemina diſtribuitur. Membranae quae cellulae parietes conſtituunt ab invicem diſiunguntur, & in filamenta plura ſcinduntur eleganter capitata, floſculorumque tubas aemulantia. In unaquaque cellula nidulatur ſemen pappo inſtructum. Petala plana, ſeu ſquamae coronam conſtituentes, inferiori calycis parti adnectuntur. Non tantum quarta haec, ſed etiam prima ſpecies, aeſtivo tempore, e foliis aculeatis calycem cingentibus copioſum Gummi fundunt, quod* Ixia *in Officinis vocatur. Radicum cortex Aromaticus eſt, & Saccharo conditus in quibusdam ſtomachi vitiis cum ſucceſſu adhibetur. Calycis florum pars carnoſa a ſquamis, & lanugine purgata in cibum aſſumitur. Species* 1. *folia Onopordi vulgaris forma, ac binos, ternoſve*

flores ampliſſimos, Cinarae ſativae inſtar, profert. Abunde autem provenit in Montibus Cluſentinatibus la Conſuma *dictis; in Monte quoque Scalario in loco dicto* la Caſa al Monte *germinantem inveni.*

CARYOPHYLLO 2. *ſubiunge.*
Villi in centro floris ſiti per microſcopium obſervati, colorem florum Amaranthoidis exprimunt.

CARYOPHYLLO 5. *ſubiunge.*
Folia Graminea ſunt, tenuiſſime ſerrata, & obtuſe mucronata: Floris color ad roſeum vergit. Petala lineas 14. *longa ſunt, ſeptem lata, ad extremitatem rotundata, & altius ſerrata, & calyx inaequaliter dentatus, ac duobus foliolis per baſim circumdatus. Caeterum Caryophylli florem non polypetalum, ſed monopetalum, in quinque vel plures lacinias ad centrum uſque diviſum eſſe, Michelius aſſerit in ſchedis.*

Pag. 23.

CARYOPHYLLO 8. *ſubiunge.*
Petalorum pars inferior viridis eſt.

CARYOPHYLLO 9. *ſubiunge.*
Speciem hanc Michelius in Adverſariis ita deſcripſit.

Caryophyllus minimus, erectus, ſubaſper, caulibus palmaribus, ramis magis expanſis, foliis tenuiſſimis, floribus purpuraſcentibus, ſolitariis, petalis cordatis integris tres lineas longis & unam latis, calyce coſtulato. *Betonica Coronaria, ſive Tunica minima I. B.* 3. 337. *deſcript. Caryophyllus Gramineo folio minimus Raii Hiſt. T.* 2. 1002. *num.* 4. *Syll.* 89. *In moenibus Florentinae Urbis ſponte germinat.*

CARYOPHYLLO 10. *ſubiunge.*
Repens eſt, & Polygoni folia perexigua habet. Petala quatuor ſunt, circa umbilicum exalbida, lineas quatuor longa, & unam lata: cornicula breviſſima ſunt: calyces vero coſtulati, & duobus tantum foliolis per baſin circumdati.

11. Caryophyllus Sinenſis ſupinus, Leucoii folio, flore vario Tournef. in Actis Ac. Sc. A. 1705. Boerch. Ind. Alt. H. Lugd. Bat. Part. 1. 219.

12. Idem flore pleno Eiusd.

13. Caryophyllus, qui Tunica ramoſior, flore candido cum corolla purpurea H. Eltham. 401.

CASSIDAE 5. *ſubiunge.*

6. Caſſida paluſtris, vulgaris (repens, anguſti folia, glabra) flore caeruleo Inſt. R. H. 182.

7. Caſſida paluſtris minima (repens, foliis anguſtis acutis & biſauritis) flore purpuraſcente Inſt. R. H. 182. Mich. Rar. *E Paluſtribus Blentinenſibus, & Piſanis attuli.*

CATARIAE *ſubiunge*

2. Cataria Luſitanica erecta, Betonicae folio, tuberoſa radice Inſt. R. H. 202.

3. Cata-

3. Cataria maior foliis oblongis, pyramidatis, acutis, ad petiolum aequalibus, ſpicis brevibus, floribus albis. *Mentha Cataria J. B.* 3. 225. *ſed deſcript. Herba Gatta Caſt.* 212. *Cattaria ſive Mentha Catti Lob. Ic.* 511. *Herba Felis Matthioli Lugd.* 908. Mich. Rar.

CEDRO *ſubiunge*.

An Iuniperus Bermudiana H. L. 345. Boerh. Ind. Alt. H. Lugd. Bat. Part. 2. 208. *cuius elegantiſſima Icon. vivis coloribus expreſſa exhibetur Tab.* 1. *Catalogi Plantarum tum exoticarum tum Domeſticarum, quae in Hortis haud procul a Londino ſitis in venditionem propagantur*.

Ad hoc Cedri *genus revocandae ſunt* Sabinae *ſpecies in hoc ipſo Catalogo deſcriptae pag.* 83.

CENTAURIUM MINUS annuum, glaucum, perfoliatum, foliis latioribus & brevioribus, acutis, floribus luteis polypetalis, calyce bilineari, denticulis anguſtiſſimis. *Centaurium luteum perfoliatum C. B. Pin* 278. *Inſt. R. H.* 123. *Centaurium minus perfoliatum luteum umbellatum Bar. Icon.* 515. *n.* 2. 1. *Centaurium luteum Camer. Epit.* 427. *Centaurium luteum alterum Lugd.* 12. 91. Mich. Cat. Plant. Agri Flor.

2. Idem foliis anguſtioribus. *Centaurium luteum perfoliatum anguſtifolium C. B. Pin.* 278. *Centaurium luteum prius Lugd.* 1290. Mich. Cat. Plant. A. Flor.

3. Centaurium minus, annuum, floribus purpureis in parvas rariores & minus compactas umbellas digeſtis. *Centaurium minus flore purpureo* I. B. 3. 353. *Centaurium minus Matth.* 692. *Fuchſ. Hiſt.* 386. Mich. Ibid.

4. Idem floribus crebris, in parvas umbellas magis compactas digeſtis. *Centaurium minus Dod. Pempt.* 336. *Ic. Cam. Epit.* 426. *Centaurium primum Lob. Icon.* 401. Mich. Ibid.

De Centaurii maioris *ſpeciebus V. inferius adnotata ad* Rhapontici *ſpecies*.

CERASO 2. *ſubiunge*.

Calyx florum conicus, ſeu cyatiformis eſt, margine repando, & in quinque dentes diviſo, ſtaminulisque obvallato: petala inter dentium, ſeu laciniarum calycis diviſiones naſcuntur, oblonga, & in extremitate rotundata.

CERATOSPERMO *ſubiunge*.

CERINTHE maior annua, Glaſti folio maculato & ſpinoſo, flore maiore luteo vel flavo, cum ore denticulato, denticulis deorſum reflexis. *Cerinthe quorumdam maior, ſpinoſo folio, flavo flore I. B.* 3. 606. *Inſt. R. H.* 80. *Cerinthe flavo flore, aſperior C. B. Pin.* 258. *Raii Hiſt. T.* 1. 506. *Cerinthe quorumdam maior flavo flore Cluſ. Hiſt. CLXVIII.* Mich. Rar.

2. Eadem flore ima parte rubro, ſumma vero luteo Ejusd.

CHAEROPHYLLO *ſubiunge*.

2. Chaerophyllum ſylveſtre alterum, geniculis tumentibus Inſt. R. H. 314.

Pag. 24.

CHAMAECERASO 2. *ſubiunge*.

3. Chamaeceraſus Alpina fructu gemino rubro, foliis longioribus acutis Mich. Rar.

De Chamaedry 4. *vide ſis adnotata ad* Teucrium *pag.* 93.

CHAMAEDRY 6. *ſubiunge.*

Ad Teucrii *Genus revocavit Michelius Rar.*

Superior foliorum facies villis rarioribus, ac brevioribus obſita eſt, inter quos plurimae exiguae glandulae ſitae ſunt, e quibus extillat Balſamum pellucidum: in inferna etiam parte, in adulta Planta, intra villos longiores & magis implicatos, glandulae ſimiles latent, e quibus Balſamum odore acutiore praeditum extillat.

CHAMAEDRY 8. *ſubiunge.*

Annua eſt, & hirſuta: folia oblonga ſerrata profert, & flores albos. Notari meretur Plantam hanc ſingulis octo, vel decem annis ſponte per Horti ſolum variis locis naſci. Idem contingit Ricinoidi ex qua paratur Tourneſol Gallorum Inſt. R. H. 655. *&* Tithymalo argenteo maritimo leptophyllo Lael. Triumphetti. *Sexdecim ſane annorum ſpatio Chamedryn hanc, & Tithymalum ſemel tantum, Ricinoidem vero ter renatam vidi. Talis miraque ſeminum incorruptibilitas Phyſicis, & Agricolis opportuna corollaria miniſtrabit.*

9. Chamaedrys paluſtris, caneſcens, fruticoſa, Cretica, flore purpureo, *quam Michelius ex ultimo ſuo itinere advexit, ſibi a* Cl. Leonardo Sesler, *ut puto, communicatam.*

CHENOPODIO 1. *ſubiunge.*

Planta ad trium ſpithamarum menſuram attollitur. Flores in ſpicis ramoſis digeſti ſunt, quique ſpicae ſummitatem occupant, primitus expanduntur. Calyx in quinque ſubrotundas partes ſectus eſt, cochlearis inſtar excavatas, intus candicantes, extus in medio virides, margine foliaceo candicante auctas. Stamina quinque ſunt, pellucida, calycis ſquamis duplo longiora, apices citrinos didymos, & Malvae Moſchatae ſimiles ſubſtinentia. Centrum floris occupat Placenta orbicularis, depreſſa, viridis, in ſummitate ſtilo rubro bipartito brevi inſtructa, & mucco quodam glutinoſo per totam ſuperficiem illita. Flore nondum expanſo ſingulorum ſtaminum apices glutine iſto implicati placentae firmiter adhaerent, & calycis ſquamis invicem appreſſis integuntur; affluente vero apicibus, ſtaminibusque novo nutrimento, ſenſim ipſi turgeſcunt adeout intra calycis ſquamas latere amplius non poſſint; quinimmo eas ab invicem diſtrahunt, & hiare cogunt. Recluſo igitur, expanſoque flore, Solis calor gluten, quo, ut diximus, Placenta, ſeu Embryonis calyptra inficitur, eneruat, aut exſiccat, fibraſque ſtaminum rigidiores ita efficit, ut ſtamina ipſa a glutinis vinculis ſoluta elateris vi quadam erigantur, expandantur, & calycis ſquamas ſuperpoſitas deorſum diſtrahant. Idem ferme accidit ſi cultro apices a glutinis nexu liberaveris. Placenta, ſeu Embryo abit in fructum involucro rubro, punctulis ſeu alveolis pellucidis affabre diſtincto, tectum, & unico ſemine nigro ſplendente fetum. Barrellerii Icon rudis admodum eſt, nec plantae faciem exprimit.

CHENOPODIO 2. *ſubiunge.*

Flos, ſeu Calyx ad medium uſque ſectus eſt in quinque partes tenuiſſime in ſummitate laciniatas. Stamina quinque habet breviſſima, apicem biventrem ſubſtinentia, & embryonem ſtipantia, qui pyramidalis eſt, trigonus, baſi, vel parte ampliore ſurſum elevata, tribuſque capillamentis in ſummitate donatus, ac unico ſemine nigro ſplendente reniformi, ſeu in baſi roſtrato, fetus. Calyx fructum non veſtit.

CHE-

CHENOPODIO 3. *ſubiunge.*
Flores a prima ſpecie non abludunt, ſi filamenta, ſeu ſtilos embryonis longiuſculos rubros excipias. Pulviſculus albus, quo univerſa Plantae ſuperficies veſtitur tamquam ſi cinere adſperſa eſſet, ut adnotavit Caeſalpinus, per microſcopium viſus, nil aliud apparet eſſe, quam veſiculae minimae, oviformes pellucidae, plantae cuti adfixae.

CHENOPODIO 6. *ſubiunge.*
Planta haec Mexicana climati noſtro adeo adſuevit, ut ſponte, & frigoribus invicta in Arni ripis, & ſalictis moleſta copia naſcatur. Ceterum haec, & ſuperior ſemen proferunt nudum, ſeu mavis calyptra non involutum; eaſque ad Botryos *Genus revocavit Michelius Rar.*

CHENOPODIO 8. *ſubiunge.*
Folia glauca, obtuſa, & carinata profert, ſemenque roſtratum. Hoc & ſequens Michelius Rar. ad Kali *genus revocavit.*

CHENOPODIO 10. *ſubiunge.*
Flores herbaceos profert, ſemenque cochleatum; proindeque Michelius ad Kali *Genus revocavit Rarior.*
11. Chenopodium altiſſimum Botryoides Amman Rarior. 165.

Pag. 26.

CHRISTOPHORIANAE *ſubiunge.*
Calyx floris nondum expanſi ſphaericus eſt, conſtatque quinque foliolis; duobus nempe exterioribus ſubviridibus, & admodum cucullatis, quae tria folia pariter cucullata, ſed maiuſcula, & candida includunt. Petala quatuor tantummodo ſunt, lineas duas longa, & tertiam lineae partem lata, candida, e quorum centro ſurgit piſtillus facie vitis ſemen referens, obtuſus, 44. ſtaminibus ad baſin ſtipatus, quae apices lanceatos & biventres ſubſtinent.

CHRYSANTHEMO 3. *ſubiunge.*
4. Chryſanthemum foliis Matricariae C. B. Pin. 134. Boerh. Ind. Alt. H. Lugd. Bat. p. 1. 105.
5. Chryſanthemum folio Matricariae, flore luteo pleno Eiusd.
6 Chryſanthemum flore partim candido, partim luteo C. B. Pin. Eiusd.
7. Ghryſanthemum folio Matricariae, flore albo pleno H. C. Eiusd
8. Chryſanthemum folio Matricariae, floris radiis ſulphureis, diſco aureo Eiusd.
9. Chryſanthemum folio Matricariae, flore magno bullato fere nudo Eiusd.

CHRYSOCOME *ſubiunge.*
Eſt Conyza Linariae folio Vaill. in Act. Acad. R. Sc. A. 1719. *pag.* 397. *num.* 3. *A* Conyzae *tamen Genere ſeiunxit Michelius Rar. & Chryſocome reſtituit, eo quod flores e ſolis floſculis hermaphraditis conſtent, non autem ſemifloſculis quoque, ut Conyzae maiori vulgari C. B. contingit. Thalamus praeterea, cui floſculi inſident, cellulatus eſt, Onopordi inſtar, eiuſque cellula-*

rum

rum anguli in limbum anguloſum elevantur, nullis tamen foliolis, ſeu ſquamis munitur, quibus floſculi ab invicem diſtinguantur, quemadmodum in eadem Conyza maiore. Semina longo pappo inſtructa ſunt. Calyx coni inverſi figura ſquamis longis conſtat, acuminatis, & in ſummitate reflexis.

2. Eadem minor. *In collibus argilloſis ſecus viam Regiam Piſanam, praeſertim* di San Romano, & della Rotta *dictis, nec non in Ericetis Aquae Tettuccianae prope Montem Catinum Vallis Nebulae copioſam inveni. Licet autem humilior, & gracilior ſuperiori ſpecie ſit, flores profert maiuſculos, & amplioribus floſculis ornatos. Quidam ex his per ſenectutem colorem mellinum, vel rubentem elegantiſſimum aſſumunt.*

CICHORIO 3. *ſubiunge.*

4. Cichorium ſilveſtre, folio anguſto ſimpliciter laciniato, flore caeruleo maiore Mich. Rar.

5. Cichorium ſilveſtre, Eryſimi folio, flore caeruleo. *An Cichorium ſilveſtre, Picris Dod. Pempt.* 635. *Seris Picris ſilveſtre Fuchſ.* 679. Mich. Rar.

6. Idem flore minore. *Cichorium ſilveſtre anguſtifolium Lugd.* 577. *Cichorium folio valde anguſto Caeſalp.* 507. *Cicorea Salvatica Matth.* 532. Mich. Cat. Plant. Agri Flor.

CICUTAE *ſubiunge.*

2. Cicuta minor Petroſelino ſimilis C. B. Pin. 160. Inſt. R. H. 306.

CINARAE 5. *ſubiunge.*

In collibus argilloſis ſecus viam quae ab Urbe Volaterrana Salinas ducit, le Moie di San Giovanni, *detorto a* Muria *nomine, vocatas, Octobri Menſe germinantem inveni* Cinarae ſilveſtris *ſpeciem, quae folia anguſtiſſima, multifariam laciniata, Acanthi aculeati quodadmodo ſimilia, & aculeis flaveſcentibus in loborum ſummitate inſtructa profert. Caules effeti, aridique pedales erant, calycemque ſubſtinebant oblongum, cuius ſquamae in validum aculeum deſinebant. In Hortum translata caulem floriferum nondum emiſit: num igitur eſt* Cinara ſilveſtris ſpinoſa Raii Syllog. 289 *vulgo* Sgalera? *quam Michelius Rar. per planitiem Craſſetanam abunde naſci teſtatur?*

CIRSIO 6. *ſubiunge.*

7. Cirſium Creticum altiſſimum, Cardui lanceolati folio Coroll. Inſt. R. H. 32. Vaill. in Act. Acad. R. Sc. A. 1718. pag. 201. num. 1.

8 Cirſium Acanthoides in foliorum ambitu ſpinis mollibus creberrimis hirtum, flore flaveſcente. *Carduus alpinus Carlinae folio & facie, flore flaveſcente D. Michaëli Vaill. in Act. Acad. R. Sc. A.* 1718. *pag.* 203. *numer.* 21. Mich. Rar.

9. Cirſium Aſphodeli radice, foliis magnis incanis. *An Cirſium maximum Aſphodeli radice Inſt. R. H.* 447. Mich. in Adverſ.

10. Cirſium tuberoſum capitulis ſquarroſis H. Eltham. *Semina ab ipſo D. Dillenio accepi.*

Pag. 27.

CITREO 3. *ſubiunge.*

4. Citreum, quod Malum Citreum flore pleno, & fructu prolifero Flor. Norimb. 117. Cedro di Fiore, e Frutto doppio.

CLEMATITI 1. *ſubiunge*.
Petala florum lineas quinque longa ſunt, ſeſquilineam lata, utrinque acuminata; apices autem palleſcunt.

CLEMATITI 2. *ſubiunge*.
Floribus tum onuſta apparet, quum ſequentis ſpeciei flores omnes deciderunt; petala autem profert anguſtiſſima.

CLEMATITI 4. *ſubiunge*.
Petala plerumque quatuor gerit, quandoque autem quinque, ſemuncialia, ſeſquilineam longa, utrinque acuminata; ſtamina vero alba, & apices pallidos.

CLEMATITI 8. *ſubiunge*.
Ad ſingulos nodos polyphylla eſt, & geminis capreolis donata. Flores albos ſolitarios profert, calyce monophyllo mitrato inſtructos.

CLEMATITI 11. *ſubiunge*.
Hanc & ſequentem ſpeciem ad Viticellae *genus cum Dillenio revocavit Michelius Rarior.*

CLINOPODIO 2. *ſubiunge*.
3. Clinopodium perenne Pulegii odore, Maioranae folio, Patavinum Bocc. Muſ. part. 1. pag. 60. Tab. 45.
4. Clinopodium Canadenſe fiſtuloſum, foliis dilute virentibus & hirſutis Boerh. Ind. Alt. H. Lugd. Bat. part. 1. 158.

Pag. 28.

COMELINAE *ſubiunge*.
Eſt Comelina procumbens annua, Saponariae folio H. Eltham. 92. Tab. 78.

In CONVOLVULI 2. nomine *pro* nigris & angulatis *ſcribe* magis angulatis.

CONYZAE 1. *ſubiunge*.
Huius Plantae flores, quemadmodum adnotavit etiam Michelius, non e ſolis floſculis componuntur; verum & veris quoque ſemifloſculis ſimplici tuba inſtructis, qui peripheriam corymborum occupant, & floſculorum numerum excedunt. Praeterea thalamus, qua parte ſemifloſculi ipſi ſiti ſunt, foliolis quibusdam anguſtiſſimis ornatur, quae ſemifloſculos ab invicem diſtinguunt. Talis autem character nulli e ceteris Conyzae ſpeciebus hactenus notis communis eſt.

CONYZAE 2. *ſubiunge*.
Ad Eupatorii *Genus revocavit Michelius Rarior. Corymbos cylindraceos profert, quorum calyx non ſquamoſus eſt, ſed paucis ſimplicibusque foliolis aequalibus, unaque ſerie digeſtis conſtat. Intra calycem ſiti ſunt floſculi unius omnes formae, hermaphroditi nempe. Semina pappo inſtructa oblonga ſunt, compreſſa, anguloſa, ſeu coſtulata, & in acumen terminata, quod nervi breviſſimi ope adnectitur foramini papillarum quibus thalamus nudus ſcatet.*

Pag.

Pag. 29.

CORIARIAE *ſubiunge.*

Flos femininus petala quinque gerit, quae conſpicua potiſſimum ſunt in flore effeto; tunc enim duplo ferme maiora calycis ſquamis adparent. Mich. Adverſ.

CORONAE SOLIS 4. *ſubiunge.*

Caules lignoſos profert; folia autem aſpera & coniugata. Semifloſculi ovati ſunt, lineas novem longi, quatuor lati, tubo nigro, nulla tamen tuba inſtructi: floſculi autem tuba bifida, & vagina, tubaque purpurea muniuntur, ac ſquamulis quibusdam ab invicem ſeparantur. Semina nuda ſunt, ſeu duabus tantummodo ſquamulis in ſummitate ornata.

CORONOPO 3. *ſubiunge.*

4. Coronopus ſilveſtris, perennis, hirſutus, foliis humiſtratis, modo latis, modo anguſtis, cum appendicibus modo magis, modo minus laciniatis. *Coronopus, ſeu Herba ſtella ſilveſtris, foliis profunde laciniatis Erucae ſimilitudine Caeſalp.* 329. *An Coronopus ſilveſtris hirſutus laciniatior H. Cathol. Raii T.* 3. *pag.* 434. Mich. Rar. *Per Viam Regiam Piſanam, in ſabuloſo colle circa veterem Arcem Montis Lupi germinantem inveni.*

COTINO *ſubiunge.*

Sicciſſima Aeſtate, Auguſto exeunte, e minimis corticis fiſſuris extillabant guttulae Terebinthinae cuiusdam pellucidae, lentae, quae odore & ſapore Larignam adamuſſim referebat.

2. Cotinus floribus, fructibus, & capillamentis ex albo flaveſcentibus. *Scotanum vulgo Caeſalp.* 75. Mich. Cat. Plant. Agri Flor. *In caeduis ſylvis per Montem Maurillum Florentiae proximum ſponte provenit.*

CRAMBI *ſubiunge.*

Florem profert luteum in ſpicas digeſtum; petala autem cordata, fructuſque aſperos, non ita facile per ſe dehiſcentes, & in tria inaequalia loculamenta diviſos, in quorum ſingulis unicum ſemen nigrum nidulatur.

Pag. 30.

CRATAEGO 2. *ſubiunge.*

3. Crataegus folio oblongo, ſerrato, utrinque virente Inſt. R. H. 633.

CROCO 3. *ſubiunge.*

Flos ſativo minor, inodorus eſt, dilute carneus, tantillo livore infectus, niſi quod tria petala exteriora, atque ampliora, lineis quibusdam purpurocaeruleis ornantur. Filamenta lutea ſunt, brevia, & inutilia. A. 1743. *dum luſtrarem veſtigia veteris Piſani Portus prope Liburnum, Croci huius plantas aliquot ipſo Ianuario Menſe floridas repperi: Plurimas autem obvias habui Menſe Martio A.* 1745. *dum Aluminis fodinas in Agro Montis Rotundi Orae Maritimae Senenſis inſpicerem.*

CRUCIATAE 2. *ſubiunge.*
Viticuli ab imo ad medium hirſuti ſunt, ſuperiori parte glabri.

CRUCIATAE 3. *ſubiunge.*
Eſt Cruciata paluſtris alba, foliis glaucis in eadem planta nunc binis, nunc quaternis, modo latis, modo anguſtis, interdum brevibus, interdum longioribus, floribus exiguis paniculatim naſcentibus, fructu Coriandri forma Mich. Cat. Plant. Agri Flor.

CUCUMERI 2. *ſubiunge.*
CUMINOIDES vulgare Inſt. R. H. 300.

Pag. 31.

CYANO 3. *ſubiunge.*
Haec & ſequentes ſpecies a Vaillantio in Act. Acad. R. Sc. A. 1718. *pag.* 230. *ad* Amberboi *Genus revocatae fuere, primaque appellata* Amberboi flore incarnato odorato. 2. Idem flore albo 3. Idem flore luteo odorato.

CYANO 5. *ſubiunge.*
6. Cyanus montanus anguſtifolius purpureus Barr. Obſ. 964. Sc. 1323. Vaill. in Act. Acad. R. Sc. 1718. pag. 234 num. 9.
7. Cyanus alpinus capite pennato Inſt. R. H. 445. Vaill. Ibid. num. 10.

CYTISO 1. *ſubiunge.*
Eſt Cytiſus glaber, viridis, foliis in rotunditate acuminatis, cauli immediate adhaerentibus, floribus luteis ſpicatis, calyce breviſſimo, ſiliquis latis nitidis Mich. Rar.

CYTISO 2. *ſubiunge.*
Folia inferna villoſa ſunt.

CYTISO 8. *ſubiunge.*
Eſt Cytiſus ſpicatus flore purpureo Inſt. R. H. 648. *Cytiſus praecox ſpicatus, rubello flore, caule rubro Bocc. Muſ. Part.* 2. 31. *Tab.* 19. *ex* Mich. Rar.

Pag. 33.

DENTI LEONIS 1. *ſubiunge.*
Folia cubitalia, inaequaliter laciniata, & ſubhirſuta profert.

DIGITALI 6. *ſubiunge.*
7. Digitalis peregrina glabra, foliis coniugatis non ſerratis, floribus villoſis dilute purpureis. *Dracocephalus latifolius glaber Lyſimachiae luteae foliis Mor. Hiſt. Oxon. part.* 3. 417. *Sect.* 11. *Tab.* 21. *fig.* 2. Mich. Rar. *Quod proinde Moriſonii ſynonymon pag.* 34. *huius Catalogi delendum eſt.*

DIMOR-

DIMORPHOTHECA foliis inciſis, ovariis minoribus. *Caltha Africana flore intus albo, foris violaceo Inſt. R. H.* 499. *Vaill. in Act. Acad. R. Sc. A.* 1720. *pag.* 361. *num.* 3.

DISPACO *ſubiunge.*

Folia, caulis, & foliola circa capitula ſpinoſa ſunt.

2. Diſpacus ſilveſtris non perfoliatus, foliis ſerratis per baſim in duas lacinias plerumque diviſis, capitulis rotundis exiguis albis, ſquamis latis ad oras aculeatis.

3. Diſpacus ſilveſtris capitulo minori, vel Virga Paſtoris minor Boerh. Ind. Alt. H. Lugd. Bat. part. 1. 133. Mich. Rar.

DORIAE 3. *ſubiunge.*

Hanc ad Solidaginis *Genus revocavit Michelius Rarior.*

Pag. 34.

De DRACOCEPHALO *vide ſis ſuperius adnotata ad* Digitalem.

ECHIO 5. *ſubiunge.*

6. Echium lato Plantaginis folio, Italicum (annuum, flore magno purpureo) Barr. Obſ. 16. num. 143 *Lycopſis Plantaginis folio Italica Eiusd. Icon.* 1026. *Echium annuum latis Bugloſſi foliis H. Piſ. Echium Alcibiadis maximum, foliis Bugloſſae maioribus & aſperis, floribus caerulis magnis Mentz. Pug. Echium latiſſimo folio, Lycopſis dictum, flore dilute purpuraſcente H. Lugd Bat. Echium purpureo campanulato flore, folio ſubrotundo H. Cathol. App.* 3. *Anchuſa maior Caeſalp.* 435. *Lycopſis C. B. Pin* 255. *Lycopſis Dioſcoridis quibusdam I. B.* 3. 584. *Cynogloſſa vera Matt.* 1248. *Mich. Rar. In ipſa Piſarum Urbe, in Prato inter Primatialem Baſilicam, & ſplendidiſſimum Coemeterium ſito naſcitur.*

ELICHRYSO 7. *ſubiunge.*

Capitula, ſeu corymbos profert Cylindricos, lineas quinque longos, in diametro duas cum dimidia latos, qui ſquamis pluribus circumvallantur anguſtis, foliaceis, acuminatis, ſubinde decreſcentibus, non ſplendentibus, & e viridi albicantibus. Floſculi duplicis formae ſunt, qui enim circa floris peripheriam ſiti ſunt, unico cylindro coronato, & tuba munito conſtant; qui vero interiorem floris partem occupant, lineas tres cum dimidia longi ſunt, tubulati, anguſtiſſimi, circa medium nonnihil ampliati, vagina ſtaminea, & tuba bifida praediti, ore in quinque exiliſſimos dentes dilute aureos, & complanatos ſciſſo. Inſident hi ſummitati ſeminum vix ſemilinearium, anguſtorum, cinereorum, quae pappis longitudine floſculos aequantibus inſtruuntur. Thalamus nudus eſt, & favi, vel Onopordi florum Thalami inſtar cellulatus. Non autem haec tantum Elichryſi ſpecies floſculis duplicis naturae praedita eſt, ſed & aliae omnes hic deſcriptae.

8. Elichryſum obtuſifolium capitulis argenteis conglobatis, H. Eltham.

9. Elichryſum ſilveſtre anguſtifolium capitulis conglobatis C. B. Pin. 264. Inſt R. H. 453. *Chryſocome in Moeniis Piſanis, foliis Eliochryſi rarioribus,*

capi-

capitulo ſingulari in ramulorum cacumine Caeſalp. 485. *Mich. Rar. Non ſolum in Moenibus Piſanae Urbis inter Aquaeductus Caſtellum, & Portam Calcenſem vulgo* delle Piagge *dictam, ubi Vigna in Theophr. naſci aſſerit, ſed & in Montibus Piſanis, praeſertim prope Balnea D. Iuliani, & prope Latomias Oliveti in rupium fiſſuris inveni.*

10 Elichryſum ſpicatum Inſt. R. H. 453. *Chryſocome alia in montibus, pluribus capitulis in unum aggregatis Caeſalp.* 485. Mich. Rar.

ELMINTHOTHECA hiſpida perennis & vulgaris Vaill. in Act. Acad. R. Sc. A. 1721. pag. 269. num. 6. *Hieracium aſperum maiori flore in limitibus agrorum Inſt. R. H.* 469.

2. Elminthotheca hiſpida, vulgaris, annua Vaill. ibid. *Hieracium Echioides capitulis Cardui Benedicti Inſt. R. H.* 471.

3. Eliminthotheca Alpina, perennis, aſpera, Bugloſſi folio Mich. Rar. *Tres hae Plantae in hoc ipſo Catalogo inter* Hieracii *ſpecies deſcriptae fuerant ſub num.* 9. 10. 11.

EPHEDRAE 1. *ſubiunge.*

Maſculina Planta eſt; flores ſiquidem tantummodo ſteriles profert Menſe Maio e nodis ramuſculorum, quales Cl. Linnaeus deſcribit Gen. 766. *ſequens autem ſpecies flores femininos tantummodo gerit.*

ERICAE 2. *ſubiunge.*

Eſt Scopa floribus albis Caeſalp. 104. *Flores odorati ſunt.*

ERICAE 3. *ſubiunge.*

Ineunte Autumno florum rudimenta profert herbacea, quae non niſi Februario Menſe expandi incipiunt, ac per totum Maium durant. Bilineares hi ſunt, conici, ſeu ampullaeformes, coriacei, dilute purpurei, ore in quatuor dentes ſciſſo. Staminula gerunt quinque candida, apices atropurpureos ſubſtinentia. Stilus oblongus eſt, flori item concolor. Calyx quadrifariam diviſus flori item concolor, & albicantibus maculis infectus, petiolo bilineari appenditur, cui circa medium parvulae duae laminulae adnaſcuntur albicantes, quae florem tenellum amplectuntur.

4. Erica alpina, procumbens, prorſus glabra, foliis Iuniperinis ex adverſo quaternis, longioribus, anguſtioribus, & veluti marginatis, ac coſta donatis, floribus dilute purpureis, bilinearibus, uno verſu diſpoſitis, calyce longiori Mich. Rar. *In Alpibus Petrae Apuanae ſecus viam quae Barga Stazzemam ducit, inter Furnum Volaſtrum & Stazzemam, in rupium marmoris Lunenſis fiſſuris abunde provenit.*

5. Erica foliis Corios multiflora I. B. 1. 356. Inſt. R. H. 602. *Erica 2. Matth.* 170. *An Scopa floſculis purpuraſcentibus Caeſalp.* 104. Mich. Rar. *In Montibus Liburnenſibus ſponte provenit.*

Pag. 36.

ERIOCEPHALO 6. *ſubiunge.*

7. Eriocephalus capite oblongo maximo, flore albo Vaill. in Act. Acad. R. Sc. A. 1718. pag. 204. num. 3. *Carduus tomentoſus capite maiore C. B. Pin.* 382. *Cnicus lanceolatus validiſſimis aculeis munitus Inſt. R. H.* 450.

8. Erio-

8. Eriocephalus parvus lanceatus, capitulis exiguis pyriformibus purpureis Mich. Rar.

ERUCAE 3. *ſubiunge*.
Glabra eſt, foliis latis in amplas lacinias uſque ad coſtam diviſis, lobis Cornu Cervi diviſuras aemulantibus, & plerumque alternis, ſiliquis planis, ſemine ſubrotundo cinereorufo.

ERUCAE 4. *ſubiunge*.
Eſt Eruca ſilveſtris, fruticoſa, perennis, glabra, foliis latis in amplas lacinias diviſis, lobis longis, anguſtis, non ſerratis, & quaſi invicem oppoſitis, flore luteo, ſiliquis ſtrictioribus, ſemine ovato Mich. Cat. Plant. Agri Flor.

ERUCAE 5. *ſubiunge*.
Ramulos ſubaſperos gerit.

ERYNGIO 4. *ſubiunge*.
5. Eryngium maritimum rotundifolium caeruleum Mich. Rar. *In Arenoſo litore ad oſtium Caecinae fluvii, prope Caſtrum ab Ampl. Viro D. Carolo Ginorio recens extructum, ſimul cum ſuperiori naſcitur*.
6. Eryngium montanum Amethyſtinum C. B. Pin. 386. Inſt. R. H. 327.

EVONYMO *ſubiunge*.
2. Evonymus latifolius C. B. Pin. 428. Inſt. R. H. 617.

Pag. 37.

FAGOPYRO 2. *ſubiunge*.
3. Fagopyrum erectum, fructu aſpero Amman. Rarior. 168. *cuius ſemina ipſe D. Amman. mecum perhumaniter communicavit A.* 1737. *nomine* Fagopyri Sibirici, erecti, ſemine aſpero, floribus parvis: *climati autem noſtro adeo illud adſuevit, ut non ſolum laete germinaverit, ſed fructus fecundos protulerit*.

FAGO *ſubiunge*.
Duas huius varietates in Horto colimus, quas Michelius Rar. ita diſtinxit.
1. Fagus fructu rotundo. *Fagus Latinorum, Oxya Graecorum I. B.* 1. 117.
2. Fagus fructu oblongo. *Fagus Lob. Icon.* 160.

FICOIDI 1. *ſubiunge*.
Eſt Meſembryanthemum cryſtallinum, Plantaginis folio undulato H. Eltham. 231. Tab. 180. *Aeri noſtro adeo ſe accomodavit, ut vivaciſſima ſit, & importuna ferme evaſerit*.

FICOIDI 2. *ſubiunge*.
Foliis perbelle refert Meſembryanthemum acinaciforme, flore ampliſſimo purpureo H. Eltham. 282. Tab. 211. fig. 270. & Tab. 212. fig. 271. *Flores autem nondum protulit*.

FILICULAE 1. *ſubiunge*.
Huius Plantae flores die 6. *Maii obſervavit Michelius: hi autem, quemadmo-*

admodum in Adverſariis adnotavit, nil aliud ſunt, quam filamenta exigua alba, ſeu pellucida, globulis quatuor, vel quinque invicem ſuperpoſitis conſtantia, ſitaque in ſuperficie caulium, ſeu pediculorium foliorum e terra erumpentium, ac nondum expanſorum, inter ſquamulas plures reticulatas. Polytrichi *flores ſimiles hiſce ſunt, & inter pinnularum diviſuras naſcuntur. Similes quoque ſunt flores* Linguae Cervinae, & Polypodii; *verum ramoſi ſunt.*

FILIPENDULAE *ſubiunge.*

Petala florum ovata ſunt & integra, quandoque tamen in ſummitate cordata; ſtaminaque lutea.

2. Filipendula maior foliorum tarſis anguſtis, & uſque ad coſtam diviſis Mich. Rar.

Pag. 38.

FOENUI GRAECO *ſubiunge.*

2. Foenum Graecum ſilveſtre, Meliloti facie Corol. Inſt. R. H. 28.

3. Foenum Graecum ſilveſtre alterum polyceration C. B. Pin. 348. Inſt. R. H. 409.

FRAGARIAE 7. *ſubiunge.*

Planta humilis eſt, ceſpitoſa, perennis, cuius folia trilobata, & argute dentata, glauca lanugine pubeſcunt. Flores Menſe Februario erumpunt circa radicem ex alis foliorum, & e ſinu laminarum trium villoſarum, albeſcentium, tenuium, bilinearium, e lata baſi in acumen productarum, quibus alae foliorum undique veſtiuntur. Terni autem plerumque flores communi, hirſuto, brevique pediculo ſubſtentantur, carneique primum ſunt, praeſertim circa petalorum ungues, & coſtulas; tractu autem temporis candidi evadunt, brevique marceſcunt. Calyx externe hirſutus eſt, ſcutellatus, ferme pentagonus, fundo utrinque rubente, oreque in lacinias decem aequales, acutas, petalis longiores ſciſſo, & ferme repando. Margini calycis adnaſcuntur, brevi tamen intervallo ſeiuncta, petala quinque bilinearia, ex anguſto principio dilatata, & in ſummitate leviter cordata. Singula Cyati pentagoni latera tribus linearibus ſtaminulis candidis, anguli vero uno tantummodo ac minori ſtaminulo obvallantur. Stamina autem haec omnia apices parvos luteos ſubſtinentia embryoni ita apprimuntur, ut ipſum foventia pyramidem quodadmodo baſi pentagona conſtituant. Embryo abit in fructum Ranunculi pratenſis, aut Quinquefolii fructus imitantem, pluribus ſeminulis fetum compreſſis, rugoſis, tuba breviſſima candida inſtructis, ad baſin villoſis, confertis, & placentae cuidam virenti ac pulpoſae adfixis. Ad Comaroidis *proinde genus a Cl. Pontaderio Anthol.* 290. *inſtitutum revocanda videtur haec Fragariae ſpecies, quam ſponte germinantem inveni in maceriis prope Butium Oppidum Montium Piſanorum, & prope Stazzemam Pagum Álpium Apuanarum.*

Pag. 40.

Eſt Gallium Alpinum ſaxatile, pumilum, caule ſemipalmari, erectum, foliis latiuſculis a medio ad ſummum tenuiſſime denticulatis, floribus albis,

ſectio-

ſectionibus in praetenuem pilum abeuntibus. *Rubeola Alpina ſaxatilis Bocc. Muſ. Part.* 2. 145. *Tab.* 101. Mich. Rar.

GALLIO 4. *ſubiunge*.
Eſt Gallium Alpinum, ſaxatile, pumilum, erectum, ima parte villoſum, foliis anguſtis, floribus albis, ſectionibus in longiuſculum pilum abeuntibus Mich. Rar.

GALLIO 6. *ſubiunge:*
Caulis, anguli, & foliorum margines denticulis tenuiſſimis, & vix apparentibus exaſperantur. Flores ſolitarii ſunt, & in ramuſculorum ſummitate uno verſu diſpoſiti: variant autem colore ſaturatiore, vel dilutiore.. In alpibus Petrae Apuanae, praeſertim a Furno Volaſtro eundo Stazzemam, copioſum inveni.

GENISTAE 2. *ſubiunge*.
Folia margine, ſeu fimbria quadam diaphana ornantur.

GENISTAE 6. *ſubiunge*.
Eſt Geniſta tinctoria Florentina maior, ſiliquis villoſis Mich. Cat. Plant. Agri Flor.

GENISTAE SPARTIO 2. *ſubiunge*.
3. Geniſta Spartium Italicum, minus, Linifolium, floribus luteis, ſiliquis breviſſimis, villoſis, & obtuſis, ſeu frontatis Mich. Rar.
4. Geniſta Spartium Italicum, non ſpinoſum, iunceum & triphyllum, foliis & ramis coniugatis, floribus luteis in capitulum congeſtis, ſiliquis brevioribus hirſutis. *Geniſta radiata, ſive ſtellaris I. B.* 1. 399. *Inſt. R. H.* 643. *Geniſta Ilvenſis Lugd.* 174. *Spartium triphyllum C. B. Pin.* 396. *Spartium montanum triphyllum Col. part.* 1. 295 Mich. Rar. *quod proinde* a Geniſtae *ſpeciebus, inter quas num.* 7. *deſcriptum fuerat ſeiungendum eſt.*

GERANIO 4. *ſubiunge*.
Eſt Geranium Alpinum radice longa, foliis coniugatis ad Saniculam accedentibus, flore odorato purpuroviolaceo, petalis integris, calyce globoſo rubente, fructu brevi &c. Mich. Rar. *Flos patulus eſt, petalis circinatis.*

GERANIO 5. *ſubiunge*.
Flores uno verſu diſpoſiti ſunt, petaliſque donantur anguſtis, utrinque acuminatis, externe albidis, interne purpureis.

GERANIO 7. *ſubiunge*.
Radicem tuberoſam profert; folia coniugata, tenuiter & eleganter diviſa, florem purpureum ampliorem, petalis ſemunciam longis, lineas quatuor latis, cordatis & altius inciſis, fructumque brevem. Ex Mich. Rar.

GERANIO 8. *ſubiunge*.
Perenne eſt; folia parva profert uſque ad centrum in tenuiſſimas lacinias diviſa; floremque purpureum, petalis cordatis, lineas quinque longis, & quatuor latis. Ex Mich. Rar.

GERANIO 9. *ſubiunge.*
De hac, & duabus inſequentibus ſpeciebus V. H. Eltham.

Pag. 44.

GERANIO 12. *ſubiunge.*
Folia crebro & eleganter diviſa profert.

GERANIO 14. *ſubiunge.*
Annuum eſt: folia gerit coniugata, circinata, tenuiter diviſa; flores pediculis longis inſidentes, purpurorubentes, petalis tres lineas longis, unam latis; calycem amplum; ſemenque reticulatum. Ex Mich. Rar.

GERANIO 15. *ſubiunge.*
Differt a ſuperiori, eo quod maior ſit, petala florum cordata gerat, lineas duas longa, fructumque brevem.

GERANIO 16. *ſubiunge.*
Petala florum profert trilinearia, lineamque lata, linguaeformia, ex anguſto principio ſenſim dilatata, & in apice rotundata. Calycis folia in brevem ariſtam abeunt.

GERANIO 18. *ſubiunge.*
Flores umbellati ſunt, ex incarnato rubentes, petaliſque inaequalibus Violae inſtar praediti. Haec autem florum ſtructura obtinet etiam in Geraniis 17. 19. 20. 21. *&* 22.

GERANIO 24. *ſubiunge.*
Petala florum rhomboidalia ſunt, obtuſe mucronata, quinque lineas longa, tres lata.

GERANIO 25. *ſubiunge.*
Flores petala purpurea gerunt, ferme ovalia, & in extremitate complanata.

GERANIO 26. *ſubiunge.*
Eſt Geranium annuum, foliis coniugatis quinquepartitis, ſectionibus altius diviſis, floribus rubris, petalis integris, fructu brevi, ſemine rugoſo, &c. Mich. Rar.

GERANIO 27. *ſubiunge.*
Annuum eſt; Coriandri folia profert; flores autem umbellatos, purpuroviolaceos, petalis anguſtis integris, lineas quatuor longis; fructumque triuncialem: ex Mich. Rar.

GERANIO 28. *ſubiunge.*
Planta annua eſt, folia inferiora Sii ſimilia gerens, flores autem umbellatos, purpurocaeruleos, petalis integris: eius quoque varietatem colimus, quae e glandulis in ſuperficie foliorum ſitis Balſamum fundit Moſchi odorem

ſpirans

ſpirans; eſtque Geranium Cicutae folio Moſcatum C. B. Pin. 319. Inſt. R. H. 268.

GERANIO 29. *ſubiunge.*

Annuum eſt: folia inferiora Pimpinellae ſimilia gerit, lobis acutis, altius diſſectis; flores purpurocaeruleos in umbellas longiſſimo petiolo fulctas digeſtos, petalis integris; fructumque ſeſquiuncialem; ex Mich. Rar.

GERANIO 30. *ſubiunge.*

31. Geranium Batrachioides Bohemicum, capſulis nigris hirſutis H. Eltham. 159. Tab. 133. *Florem violaceum parvum profert.*

32. Geranium Chium vernum, Cariophyllatae folio Coroll. Inſt. R. H. 20.

33. Geranium Columbinum Carolinum, capſulis nigris hirſutis H. Eltham.

GEO *ſubiunge.*

Eſt potius Geum rotundifolium maius, foliis ad petiolum magis ſinuatis, floribus albis, petalis anguſtis, punctulis rubris notatis Mich. Rar. *e noſtris enim Alpibus in Hortum tranſtulit Michelius, in quibus numquam obſervavit* Geum rotundifolium maius Inſt. R. H. *quod folia ad petiolum minus excavata profert, & in Germania oritur.*

GLAUCIO 1. *ſubiunge.*

Petala per baſin externe dumtaxat nigro ungue, ſeu macula notantur, ac circa centrum floris ſtriis pellucidis ornatur.

GLAUCIO 3. *ſubiunge.*

Duas huius varietates in Horto colimus, quarum una petala profert exiguo ungue nigro in externa dumtaxat parte notata; altera vero ungibus nigris ſaturatioribus intus & extra conſpicuis.

GLOBULARIAE 2. *ſubiunge.*

In fiſſuris rupium Marmoris Lunenſis per Alpes Apuanas laetiſſime germinat.

3. Globularia fruticoſa ſemper virens, folio Myrthi tridentato, capitulis globoſis, floſculis caeruleis oblongis ad extremitatem tripartitis. *Bellis montana fructicoſa in Ilva Caeſalp.* 494. Mich. Rar.

GLYCYRRHIZAE 2. *ſubiunge.*

Flores in ſpicis, erectis digeſti ſunt, quatuor lineas longi, vexillo albo tantillo violaceo perfuſo, alis & carina prorſus violaceis. Siliquae rubrae ſunt, glutino, ſeu therebinthina quadam ſcatentes, qua tota plantae ſuperficies illata eſt. In collibus argilloſis Certaldenſibus ſponte natam obſervavi; in magna autem copia germinat circa Campiliam oppidum Orae maritimae Volaterranae, quo loci e radicum contuſarum decoctione ſuccus inſpiſſatur in uſum medicum. Vires potiſſimas ſucco iſti conciliat Balſamum, ſeu Therebinthina, qua planta univerſa ſcatet.

Pag. 42.

GRAMINUM *ſpeciebus praefige.*

Graminis *has ſpecies Michelius diſtribuit, plerumque iuxta methodum a*

Vaillantio ſervatam in Bot. Pariſ. pag. 80. non vero iuxta eam, quam ipſe excogitavit, & in altera parte Novorum Generum Plantarum anecdota fuſius expoſuit. Quum igitur plura hic immutanda eſſent, ſatius fore putavi nihil ex eis attingere, nec crebris adnotationibus Lectori taedium creare.

Pag. 46.

GRAMINI dactylo Indico eſculento, &c. *ſubiunge*.
Eſt Dactyloides Indica perennis, ſpica articulata Ponted. Anthol. 196.

Pag. 47.

GRANADILLAE 1. *deſcriptioni ſubiunge*.
Foliola duo, e quorum ſinu capreolos, & folia prodire dixeram, lunata quidem ſunt, ſed uno latere productiora, & in mollem aculeum abeuntia, ac praeterea in ambitu rariuſcule dentata. Adde folia non omnia prorſus e ſinu foliolorum iſtorum erumpere, ſed in quibusdam ramulis nuda, & ſolitaria prodire. Folia ſimilia ſunt foliorum Clematitis Paſſionalis pentaphyllae Phytanozaic. Tab. 395. *Flores autem magnitudine aequant flores* Clematitis Paſſionalis pentaphyllae foliis anguſtioribus Eiusd. Tab. 396. *niſi quod filamenta albocaerulea non totam floris aream occupant, ſed dimidiam tantummodo. Petala coſtulis virentibus externa parte diſtinguuntur. Acetabuli calycis os triplici, non autem duplici, ut adnotaveram, corolla, ſeu ſepe obvallatur. Illarum extima conſtat duplici ſerie mollium filamentorum lineas novem longorum, in baſi atrorubentium, in medio alborum, a medio ad extremitatem uſque caeruleorum: interior vero unico, quandoque duobus vel tribus ordinibus filamentorum ſemilinearium alborum, capitulo craſſiuſculo ferrugineo, vel nigricante, exiguos clavos aliquatenus repraeſentantium: intima tandem unica ſerie filamentorum cilii inſtar, ac denſe digeſtorum, non teretium, ſed in baſi latiorum, & compreſſorum, adeo ut ex duobus in unum coaluiſſe videantur. Ad exortum candida haec ſunt, in ſummitate vero nigropurpureo colore perfuſa: ſemper autem columnae clavos & apices ſubſtinenti appreſſa ſunt, eoque pacto abſcondunt patinam, quam eadem columna efficit, & e cuius limbo eleganter intorto, ac quandoque rubente prodeunt. Mel quod intra acetabulum patina clauſum larga copia ſtagnat ab Inſectis mellivoris tutum, aſſidue extillat e vaſis excretoriis quibusdam per limbi memorati ſuperficiem, & per acetabuli fundum ſparſis. Elegantem huiuſce floris figuram non ita pridem obſervavi in* Richard Bradley new Improvements of Planting and Gardening, &c. ſec. Edition. London. 1718. Part. II. pag. 53. Tab. 2. Paſſion Flower & fruit.

GRANDILLAE 2. *ſubiunge*.
Ramuſculi, & pediculi foliorum hirſuti ſunt. Fructus uvaeformes, ſemina ſex plerumque rugoſa, & calyptra non obvoluta continent.

GROSSULARIAE 2. *ſubiunge*.
Folia breviſſimis villis pellucidis pubeſcunt.

GUAIA-

GUAIACANAE *ſubiunge*.
Folia ſemipedem longa, lineas 33. lata ſunt, in acumen deſinentia, ſuperne ſaturoviridia, inferne dilutiora.

Pag. 48.

HELIANTHEMO 2. *ſubiunge*.
Ex Inſulis Venetis An. 1722. *Michelius attulit, ab eoque tempore cultum in fictili, iuxta Heliantemum vulgare, conſtanter diverſum ab hoc apparuit, ob caules nonnihil craſſiores, validiores, & erectos; ob folia nonnihil hirſuta, quae Ledi, vel Roriſmarini folia perbelle referunt, & ob florem, qui non aureus, ſed luteus eſt, & petala profert anguſtiora ac breviora; ſtamina item pauciora ac breviora. Tale prorſus eſt & illud quod Michelius An.* 1736. *ex iisdem Inſulis rurſus advexit.* Vulgare Helianthemum *N. I. deſcriptum, cui Venetum hoc comparui, in Italia, ac praeſertim in Agro Florentino frequentius occurrit: ceterum qualis nam ſit vera* Chamaeciſtus vulgaris C. B. Pin. 465. *non ita facile decerni poteſt, quum Bauhinus plures Helianthemi diverſas ſpecies ſub eodem capite comprehendat, quemadmodum Michelius obſervat Rarior. V. H. Eltham. Tab.* 145.

HELIANTHEMO 3. *ſubiunge*.
Petala florum candida ſunt, bilinearia, in ſummitate nonnihil cordata, circa unguem tantillo aureo infecta. Calyx triphyllus eſt, ſtamina autem, & apices lutei ſunt.

4. Helianthemum Salicis folio Inſt. R. H. 249.

5. Helianthemum Ledi folio Inſt R. H. 249 *Flos exiguus eſt & pallidus, petalis ſeſquilinearibus, ex anguſto principio ſenſim dilatatis. Ex ſeminibus a D. Dillenio mecum perhumaniter communicatis ſimul cùm ſuperiori crevit An.* 1738.

6. Helianthemum Plantaginis folio perenne Inſt. R. H. 250. *Tuberaria noſtras I. B.* 2. 12. *Tuberaria maior Myconi Eiusd. ibid. Ciſtus folio Plantaginis C. B. Pin.* 465. *Chironiae alterum genus Caeſalp.* 397. *Mich. Rar. E Montibus Piſanis attuli An.* 1742. *in quibus frequens occurrit, ac praeſertim in Orientali facie prope dirutam S. Agathae Arcem, & Eccleſiam Sancti Chriſtophori de Lupeta, inter plantas Stoechadis purpureae; in ipſis nempe locis in quibus D. Rentzius collectam Io. Bauhino communicavit.*

7. Helianthemum ſaxatile perenne, foliis & caule incanis, oblongis, floribus albis Apennini Montis Mentz. Pug. Tab. 8. Inſt. R. H. 249. *In cacumine Montium Piſanorum, qua parte Butenſem Vallem reſpiciunt inveni An.* 1742.

8. Helianthemum perenne, erectum, luteum, prorſus glabum, foliis Coridos alternis, longioribus, ſurrectis, & quaſi ad caulem contractis. *An Helianthemum tenuifolium, glabrum, erectum, luteo flore I. B.* 2. 18. *Inſt. R. H.* 249. *Chameciſtus Ericae folio, luteus, elatior C. B. Pin.* 466. Mich. Rar. *In Montibus Piſanis prope Aſcianum, ad Fontium Piſanorum originem laete provenit.*

HELLEBORO 1. *ſubiunge*.
Folia palmata ſunt, ad petiolum ſinuata Dracunculi maioris polyphylli inſtar. Rami floriferi molliſſima lanugine pubeſcunt. Flores quos plurimos gerunt, cernui ſunt & globoſi, prodeuntque ex alis foliorum ſingularium, albicantium,

mol-

molliorum, in extremitate nonnihil inciſorum, ac a primariis plantae aberrantium. Petala quinque ſunt ferme trigona, in ſummitate rotundata, craſſiuſcula, lineas 7. vel 8. ampla, cochlearis inſtar excavata, interne viridia, externe dilutiora. Petala inter ſtaminaque obſervantur rotatim diſpoſita octo circiter nectaria, ſeu cornicula vireſcentia, per ſenectutem nigropurpurea, petiolo breviſſimo adnexa, duas cum dimidia lineas longa, unam lata, curva, facie qua ſtamina reſpiciunt compreſſa, adverſa vero gibba, ore non ſciſſo, ſed tenuiſſime denticulato, unoque latere excavato. Microſcopii auxilio nectaria eadem per longitudinem ſtriata apparent, diaphragmatis, lacuniſque pellucidis reticulata, & interne ſuccum melleum continentia. Adde floris effeti limbum colore atrorubente infici, nullumque odorem in eo depraehendi, niſi illum toti Plantae communem, qui ad Anagyridem foetidam quodammodo accedit.

HELLEBORO 3. *ſubiunge.*

Ad pedalem altitudinem plerumque aſſurgit, & ſtatim ex ipſa radice emittit ramulos, ſeu caules plures perennantes, qui ad ſemipedis altitudinem divaricantur, uno latere emittentes folia, pauloque ſuperius rurſus & tertium divaricantur. Flores paucos gerit pentapetalos, qui ſolitarii ex adverſo foliorum quinque lobatorum ſecundae & tertiae divaricationis, eorumque ex alis prodeunt, ac ex bilineari pediculo pendent. Petala craſſiuſcula ſunt, lineas 14. longa, 11. lata, ex rotunditate nonnihil acuminata, ſeu rhomboidalia, ipſi pediculo non adfixa, ſed continuata, proindeque non decidua, ochroleuca, extus dilutiora, intus ſaturatiora, venis pellucidis per longitudinem diſtincta, & in margine pallidiora. Stamina viridia ſunt, & apicibus pallidis ſuaviter odoratis Muſcari inſtar praedita. Ad Piſtilli baſin rotatim ſita ſunt Nectaria 9. vel 10. florum labiatorum ſimilia, trilinearia, petiolo lineari appenſa, viridia, in duo labia conniventia ad medium uſque ſciſſa; extimo longiore, curva, qua parte ſemina reſpiciunt cava, qua vero petala gibboſa: ſubſtantia conſtant craſſiuſcula, guttulamque mellis inſipidi Olei Olivarum colore in ſinu claudunt: brevi item marceſcunt, & ante ſtamina decidunt.

HELLEBORO 5. *ſubiunge.*

Folia, ramuloſque plures tenellos ex ipſa radice emittit. E ſummitate horum ramulorum, & e ſinu duarum tenuium laminarum prodeunt flores ſpecioſi ſupra foliorum comam ſeſe attollentes. Petalis hi conſtant quinque, initio molliſſimis, intus albis vel candidis, extus roſeis, ferme ovalibus, lineas 10. longis, ſex autem latis. Seneſcente flore petala eadem ampliantur nonnihil, & craſſeſcunt, album roſeumque colorem amittunt, ac viridem induunt, nec unquam decidunt. Piſtilli baſi adnaſcuntur nectaria 9. vel 10. trilinearia, viridia, breviſſimo petiolo adnexa, conica, & incurvata, rarius ſulcata, ore, cuius diameter linearis eſt, inaequaliter lacero, & qua parte petala reſpicit, productiore.

6. Helleborus niger tuberoſus Ranunculi folio, flore luteo Inſt. R. H. 272. Piè di Gallo *vulgo. Flos ſex petalis ornatur luteis, lineas 8. longis, duas cum dimidia latis, & ex rotunditate acuminatis. Piſtilli baſi rotatim adnaſcuntur nectaria ſex lutea, cyatiformia, ad medium uſque in duo labia diviſa, quorum exterius linguatum & bifurcatum, interius eleganter cordatum eſt.*

Pag. 49.

HERNIARIAE 2. *ſubiunge.*

Folia minutiſſima ſunt.

HESPE-

HESPERIDI 9. *ſubiunge*.

Hieracioides (pratenſis, annua) veſicaria, Cichorei folio Vaill. in Act. Acad. R. Sc. An. 1721. pag. 246. num. 3. *Hieracium Cichoroides veſicarium Inſt. R. H.* 471.

2. Hieracioides vulgaris (annua, hirſuta, foliis laciniatis) foetida Vaill. ibid. pag. 247. num. 5. *Hieracium Amygdalas amaras olens, ſeu odore Apuli ſuaverubentis Inſt. R. H.* 469.

3. Hieracioides minor, annua, Endiviae folio leviter inciſo, flore minimo Vaill. ibid. pag. 250. num. 26. *Hieracium annuum folis leviter inciſis, floribus luteis exiguis, initio pendulis, deinde erectis Micheli H. Piſ.*

HIERACIO 9. *ſubiunge*.

Hanc, cum duobus inſequentibus ſpeciebus ſuperius ad Helminthothecae *genus revocavi*.

HIERACIO 12. *ſubiunge*.

13. Hieracium Alpinum pratenſe, Cichorei folio, hirſutum, & peramarum, caule fiſtuloſo, flore aureo, calyce nigricante ventricoſo Micheli H. Piſ.

HIPPOCASTANO *ſubiunge*.

Petala circa baſin luteis maculis inficiuntur: eapropter eſſe poſſet Hippocaſtanum vulgare, flore maculis flavis picto Boerh. Ind. Alt. H. Lugd. B. part. 2. 230.

HORMINO 2. *ſubiunge*.

3. Horminum Orientale, amplo Bugulae folio; flore dilute caeruleo. *A Cl. Leonardo Sesler Medico & Botanico Veneto, in cuius Horto colebatur, accepit Michelius. Planta univerſa raris villis inficitur. Folia inferiora laciniata ſunt, eaque ſimul cum ſuperioribus colore rubente Bugalae inſtar inficiuntur. Verticilli florum rarius ab invicem diſtant*.

HYACINTHO 1. *ſubiunge*.

Hyacinthum hunc Cl. Heiſterus Boerhaavium ſecutus in Indice Plantarum Horti Helmſtadienſis ad Tuberoſae *genus revocavit*.

Pag. 50.

HYDROCOTYLI *ſubiunge*.

Hydrocotyle Italica Ranunculi folio, floribus in capitulum ſphaericum congeſtis Micheli H. Piſ. *Ranuculus aquaticus umbilicato folio Col. Part.* 1. 315. *Ranunculus repens, Cotyledonis folio Vaill. in Act. Acad. R. Sc. An.* 1719. *pag.* 48. *num.* 2. Mich. Rar. *Larga copia germinantem inveni in fovea quae ſecus radices Montis D. Iuliani a Latomiis Marmoris albi Piſani, Caldaccolin uſque protenditur. In foveam hanc influunt aquae Thermarum D. Iuliani, pluresque e fundo ipſius foveae erumpunt aquarum calidarum venae, preſertim verſus Caldaccolin, cuius loci nomen corruptum ab antiquo* Calidae Aquae *ſuſpicari licet. Certum quippe eſt Latinos Thermas naturales* Aquas *per antonomaſian, vel* Calidas Aquas *appellare conſueviſſe, adiecto vel regionis, vel inven-*

inventoris, aut inſtauratoris nomine, ut ab invicem diſtinguerentur. Piſanarum Aquarum *mentio ſit apud Plinium Hiſt. Nat. L. 2. cap. 103. his verbis* Patavinorum Aquis calidis herbae virentes innaſcuntur, Piſanorum Ranae. *Phenomenon tamen hoc, quod memoratu dignum Plinio viſum eſt, in omnibus Aquis Thermalibus, quas Annis 1742. & 1743. obſervavi, & quae 60. circiter ſunt, obtinet, praeter quam in Lacunis per Agrum Volaterranum ſparſis & horribili fragore ebullientibus. Quinimmo incolis compertum eſt Ranas in calidis Aquis viventes, ceteris pinguiores, & ſuaviores eſſe. Nomen autem Aquarum calidarum Piſanarum aptari non poteſt Thermis, quae in Collibus Caſcianae ſunt, vulgoque appellantur* il Bagno a Acqua, *eo quod nimium a Piſarum Urbe diſtent, & ad Volaterranae Coloniae Agrum fortaſſe antiquitus pertinerent; nec praeterea antiquorum aedificiorum reliquiae circa eas ſuperſint, quae magnificae circa Caldaccolin obſervantur, veluti rudera Aquaeductus, ut de coeteris taceam.*

HYOSCYAMO 3. *ſubiunge.*
4. Hyoſciamus albus, vulgaris, annuus, latifolius, flore ochroleuco lineis purpuraſcentibus reticulatis infecto, ſemine cinereo. *Hyoſcyamus vulgaris, vel niger & annuus, ſemine cinereo H. Piſ.* Micheli Rar.

HYPERICO 4. *ſubiunge.*
Ramoſiſſimum eſt, floremque parvum pallidum profert. Univerſa harum ſpecierum ſuperficies utriculis pellucido Balſamo plenis referta eſt. Petala floris, & ſquamae calycis praeter hoſce utriculos, alios habent Balſamo purpureo plenos: ſequentis autem ſpeciei flores his carent.

HYPERICO 5. *ſubiunge.*
Eſt Hypericum foetidum fruteſcens minus H. Eltham. 182. Tab. 151.

HYPERICO 7. *ſubiunge.*
Eſt Hypericum Alpinum, humile, latifolium, non perforatum, caule rotundo duabus appendicibus vix apparentibus armato, flore magno punctato. *Androſaemum Caeſalp. H. Sicc. pag. 228. num. 636.* Mich. Rar.

HYSSOPO 1. *ſubiunge.*
Flores uno verſu diſpoſitos; folia autem lata profert. Eius varietatem etiam colimus, quae folia gerit anguſta.

Pag. 51.

IACEAE 1. *ſubiunge.*
Floſculos duplicis naturae profert, marginales ſcilicet in tres anguſtiſſimas lacinias diviſos, tuba & vagina deſtitutos, inſidentes ſemini tribus quatuorve breviſſimis villis in ſummitate munito. Qui vero centrum floris occupant, in quinque lacinias diviſi ſunt, tuba & vagina inſtructi, inſidentque ſemini praelongis villis ſeu pappis inſtructo. Thalamus villis confertis obvallatur. Calycis ſquamae integrae ſunt, & quandoque in aculeum tenuiſſimum deſinunt.

IACEAE 4. *ſubiunge.*
Eſt Iacea montana, ſupina, purpurea, incana, & tomentoſa, foliis tenuiter

ter diſſectis, ſquamarum capitulorum aciebus pennatis, & nigricantibus (ſemine breviſſime coronato) Micheli H. Piſ.

IACEAE 7. *ſubiunge.*
Hanc & ſequentem Vaillantius in Act. Acad. R. Sc. An. 1718. *ad* Serratulae *genus revocavit.*

IACEAE 11. *ſubiunge.*
Floſculos marginales albidos profert, eos vero qui centrum floris occupant, purpureos: ſemen brevi pappo inſtructum eſt. Calycis ſquamae non ſtriatae, neque pyramidate ſunt, ſed in extremitate tantillum dilatatae, & nigricantes.

IACEAE 14. *ſubiunge.*
Folia tenuiter lacinitata ſunt; capitula purpurea parva; calycis ſquamae ad extremitatem acutae, nigricantes, & leviter dentatae; ſemen tandem breviſſimum barbatum. Fortaſſe eſt Papaver ſpumeum Caeſalp. 539.

IACEAE 23. *ſubiunge.*
24. Iacea candidiſſima, laciniata (lobis integris) flore luteo magno Vaill. in Act. Acad. R. Sc. An. 1718. pag. 233. num. 25. *Iacea Epidaurica candidiſſima & tomentoſa Inſt. R. H.* 445.
Ceterum de his Iaceae ſpeciebus conſule inferius adnotata ad Rhaponticoidis, *&* Rhapontici *ſpecies.*

Pag. 52.

IACOBAEAE 7. *ſubiunge.*
Ad Solidaginis *Genus revocavit Michelius Rar.*
8. Iacobaea Africana, laciniata, anguſtifolia, flore purpureo Olden. Inſt. R. H 487. *Iacobaea annua Senecionis folio, floribus ſuaverubentibus Flor. Norimb.* 215. *Aſter Africanus annuus, Senecionis folio H. Amſt.* 259. *Vaill. in Act. Acad. R. Sc An.* 1720. *pag.* 385 *num.* 28.
9. Iacobaea maritima, ſive Cineraria latifolia C. B. Pin. 131. Inſt. R. H. 486. *Item* Iacobaea Graeca maritima, foliis ſuperne virentibus, incanis Coroll. Inſt. R. H. 36. Vaill. ibid. 386. num. 40.
10. Iacobaea foliis amplioribus incanis Mor. H. R. Bleſ. Inſt. R. Herb. 486. Vaill. ibid.

IALAPAE 2. *ſubiunge.*
3. Ialapa flore ex albo & purpureo dimidiatim commixtis notato Inſt. R. H. 129.

IASMINO 3. *ſubiunge.*
Flores, quos Autumno profert, odorem Lilii convallium ſpirant. Nonnulli ex his fructum perficiunt, baccam nempe viridem ceraſiformem, quae per totam hiemem perſiſtit, ac per maturitatem mollis & nigropurpurea fit, clauditque ſemen unicum, vel duo Coffeae *ſimilia. Non autem haec tantummodo Iaſmini ſpecies apud nos fructus procreat; ſed & ſeptima quoque, & octava. Prioris ſunt baccae nigropurpureae olivaeformes; poſterioris autem baccae nigrae Piperis granorum magnitudine.*

IASMINO 6. *ſubiunge.*
Eſt Gelſeminum Indicum arboreſcens ſemper virens, flore luteo ac ſuaviſſime odorato, deſcriptum a Ferrario, Gaſſendi in Vita Peireſchii pag. 234. Iaſminum ſemper virens Americanum Munting. Phytogr. 55. Flores odorem florum Geniſtae Iunceae aemulantur; eorumque tubus decem lineas longus eſt, ſectiones vero lineas quatuor longae ſunt. Notari meretur huius Iaſmini varietatem in Horto coli, quae flores prorſus inodoros gerit.

IRIDI 3. *ſubiunge.*
Haec vera eſt Iris Florentina *Officinarum, quae in moenibus Urbis noſtrae larga ſatis copia olim germinabat, & fortaſſe Lilio* (Fleur de Lis) *albo vetuſto Florentiae inſigni originem dedit. Modo autem rarior ibidem obſervatur, & in eius locum ſuccrevere ſpecies 1. & 2. quarum radices mundatae, & ſiccatae promiſcue uſurpantur, & extra Etruriam deferuntur pro* Irio, *vel* Iride *Officinarum.*

Pag. 53.

IUNCOIDI 3. *ſubiunge.*
4. Iuncoides Montanum, nemoroſum, villoſum, latifolium elatius, capitulis florum candidis & ſplendentibus Micheli N. P. G. P. 1. 42.

IUNIPERO 1. *ſubiunge.*
Frugifera eſt, a Michelio e Collibus Imprunetanis allata. Plurimas ego ex his Iuniperis obſervavi in Montibus Camporenae, ſeu S. Vivaldi, & ſecus viam quae a Salinis Volaterranis Quercetum ducit, ubi ad mediocris arboris altitudinem aſſurgunt. Individua maſculina, ſeu quae Amentos floriferos tantummodo gerunt, facile a femininis dignoſcuntur: in ampliorem ſiquidem, globoſamque comam ſeſe ſpargunt, ramis longioribus, glacilioribus, ac propendentibus; folia item proferunt longiuſcula, minus conferta, & molliora. Individua autem feminina caudice craſſiore fulciuntur, comamque in conum collectam proferunt, conſtantem ramis validioribus, ternis e quolibet nodo prodeuntibus, & erectis, qui, ſimul cum ramuſculis ſecundariis breviſſimis, veſtiuntur foliis rigidioribus, confertis, bacciſque plurimis e ſinu foliorum prodeuntibus onerantur; tandem Reſinam, ſeu Sandrach e corticis fiſſuris in magna copia fundunt. Baccae figura admodum variant, vel enim rotundae ſunt, vel compreſſae, vel ovales: plurimum item variant figura & numero ſquamarum, ſeu appendicum, quibus externe ornantur. Veris initio prodeunt, nec niſi anno inſequenti ad maturitatem perveniunt, quod & in Sabinae, aliarumque nonnullarum reſinoſarum arborum fructibus obſervatur. Dum matureſcere incipiunt e viridi in flavum colorem degenerant (ex quo deceptus eſt Caeſalpinus fructum flavum huic Plantae tribuens) ac ultimo prorſus rubrae evadunt, & molleſcunt. Pulpa ipſarum guſtui ſuaviſſima eſt, e dulci, acidulo, ac balſamico odoro permixta. In ſeminum ſuperficie deprehendi veſiculas oblongas Therebinthina quadam peculiari plenas. Memini tandem Patrem meum optimum An 1737. peculiare Rob, ſeu Sapam ſuaviſſimam Baccarum huius Iuniperi confeciſſe. Selegit quippe maturiores ac ſaniores, decoxit in Aqua fontana, pulpam per ſetaceum tranſmiſit, ac dein lento igne inſpiſſatam in peculiaribus vaſis repo-

ſuit.

ſuit. Paucarum hebdomadum ſpatio maſſa haec concrevit, Conſervae alicuius Officinarum formam aſſumens, eiuſque ſuperficiei accrevit cruſta ſaccharum purum putum referens. Talis Rob eximii uſus eſſe poſſet in Medicina; ſuavior ſiquidem Rob Iuniperi vulgaris eſt, odore minus acuto, proindeque minus extimulans nervos.

KALI 1. *ſubiunge.*

Flores in foliorum alis ſiti ſunt. Calyx conſtat foliis quinque cucullatis, & calcari in ſummitate donatis: centrum occupat embryo cepaeformis, ſtilo bifido munitus, & ſtaminulis quinque ſtipatus. Semen cochleatum duplici involucro veſtitur.

KALI 3. *ſubiunge.*

Quamvis ſpecies haec maritima ſemen cochleatum, ſeu ſerpentis inſtar convolutum non proferat; facies tamen Plantae, & forma calycis, inter Kali ſpecies annumerari eam ſinunt. Flores in alis foliorum naſcuntur plures ſimul iuncti, conſtantque foliis vel quinque vel ſex, tribus ſcilicet maioribus & acuminatis, tribus vero minoribus & rotundatis, omnibus tamen cucullatis, & trianguli in formam diſpoſitis. In eorum ſinu inter 5. ſtamina iacet embryo ovalis figurae, ſacco membranaceo incluſus, qui fructu maturo decidente perforatus apparet qua parte calyci adhaerebat, & ea ſola porta exitum permittit ſemini ferri equini figuram mentienti.

Pag. 54.

KETMIAE 6. *ſubiunge.*

Per caulem & petiolos foliorum obſervantur verrucae minimae, e quarum ſummitate erumpunt tres quatuorve ſpinulae, ſeu villi rigidiuſculi, pellucidi, ſtellae inſtar, ſeu radiatim diſpoſiti, qui plantam tactu aſperam reddunt. E coſtis item calycis, ſeu veſicae, erumpunt verrucae rubentes, quae tribus quatuorve ſimilibus villis, at longioribus, & gracilioribus in ſummitate ornantur, e quorum centro guttulae liquoris cuiusdam pellucidi erumpunt.

7. Ketmia Syrorum flore albo Boer. Ind. Alt. H. Lugd. Bat. P. 1. 271.
8. Ketmia Aegyptiaca ſemine moſchato Inſt. R. H. 100.
9. Ketmia Indica folio haſtato, fructu duro Iuſt. R. H. 100.

LACTUCAE 3. *ſubiunge.*

Eſt Lactuca ſilveſtris Sonchi folio multum laciniato, flore luteo palleſcente Mich. Rar.

LACTUCAE 2. *ſubiunge.*

5. Lactuca ſilveſtris Italica, coſta ſpinoſa, ſanguineis maculis adſperſa Par. Bat. Inſt. R. H. 413.

Pag. 55.

LAMIO 9. *ſubiunge.*

LAMPSANA foliis criſpis Petiv. *A D. Amman ſemina accepi. Floris diameter linearis eſt: floſculi in ſummitate complanati, & leviſſime inciſi ſunt, tubasque virentes habent*

T 2 LAPA-

LAPATHO 9. *ſubiunge*.

10. Lapathum Chalepenſe folio acuto, ſeminum involucris profunde dentatis H. Piſ. 93.

11. Lapathum Aegyptium annuum Parietariae folio, capſula ſeminis longius barbata H. Piſ. 93.

Pag. 56.

LAVANDULAE 4. *ſubiunge*.

5. Lavandula foliis crenatis Inſt. R. H. 198.

LEONTOPETALO *ſubiunge*.

LEONURUS perennis Africanus Sideritidis folio, flore phoeniceo maiore Breiu. Prodr. 2. Inſt. R. H. 187.

LENTICULAE 2. *ſubiunge*.

Flos, ſeu fructus, quem unum, & una tantum vice obſervare mihi contigit, die ſcilicet 20. Februarii An. 1732. inter prima Rei Herbariae tyrocinia, Michelio plaudente, a Lenticulae Genere plantam hanc excludit. Summitati plantae is adhaerebat, &, ni male memini, unum ex foliis ipſis erat, ſed obſolete virens, fructuum Orni, vel Fraxini ſimile, nempe ad medium uſque ventricoſum, ac in ſummitate linguatum & retuſum, intus cavum, includenſque racemum veſicularum minimarum pellucidarum 5. vel 6. communibus petiolis appenſarum, eo fere pacto, quo Dactyli in Palmae ſpatha nidulantur. Nuſquam alias autem ſimiles ſeu flores, ſeu fructus, reperire contigit, licet Michelius egoque avidiſſime ipſos conquiſiverimus.

LENTICULAE 3 *ſubiunge*.

Haec quoque a Lenticulae genere excludenda eſt, & ad novum peculiare revocanda, ob floris fructuſque formam a Mappo accuratiſſime deſcriptam in Hiſtoria Plantarum Alſaticarum pag. 166. Copioſe germinantem inveni in ampla fovea Agri Piſani, a Capucinorum Coenobio eundo Caſtagnolum.

Pag. 57.

LIGUSTICO *ſubiunge*.

2. Liguſticum alpinum multifido longoque folio Inſt. R. H. 324. *Daucus alpinus multifido longoque folio, umbella candida, qui in Baldo naſcitur, ſive foliis brevioribus compactioribus C. B. Pin. 150. Daucus Creticus Camer. Epit. Matt. 536. Daucus Creticus verus Eiusd. Hort. Daucus alpinus Cretico ſimilis Park. Theat. 896. Daucum Creticum Caeſalp. 286. (non vero Daucum montanum Eiusd. ut credidit C. B. Pin. ſemen etenim lanuginoſum eſt) an legitimus Daucus Cluſ. R. Hiſt. CXXVII. & Daucus Creticus eiusd. Pann. 700.* Mich. Rar. *E Monte Baldo attulit Michelius. Caules, radii umbellae, & ſemina lanugine incana pubeſcunt: ſemina autem lineas tres cum dimidia longa ſunt, & in ventre diametrum habent ferme linearem.*

Pag.

Pag. 58.

LIMONIO 1. *ſubiunge*.

Flores Autumno profert digeſtos in ſpicas, ſeu radios Heliotropii forma umbellam laxam & amplam conſtituentes, & in ſummitate ramulorum ſupra foliorum comam ſeſe altius attollentes. Numerantur autem 22. circiter flores in unaqualibet ſpica, & bini ac bini prodeunt e ſinu ſquamarum quarumdam minutarum herbacearum, quarum extima brevis, intima longior, florentque unus ante alium. Calycem habent bilinearem membranaceum purpureum petalis dilutiorem, conicum, ore in quinque dentes laceros ſciſſum, & in fundo ſubhirſutum. Petala quinque ſunt, lineas quatuor longa, extra calycem ſubrotunda, cochlearis inſtar excavata, & in ſummitate leviter cordata: nec vero ita facile decidunt, ſed potius matureſcente fructu corrugantur, & intra calycem conglobantur. Praeterea ad exortum, ſeu qua parte embryoni adhaerent, nectario exiguo e viridi rubente inſtruuntur. Stamina 5. pariter ſunt altitudine petala aequantia, apicibuſque bicapſularibus pallidis munita. Embryo in 5. capſulas filamento ſingulas albo praeditas dividitur.

In Limonii 2. *ſynonymo I. B. pro* maius, *corrige* minus, *& ſubiunge*.

Folia in extremitate rotundata profert, non vero acuminata, in quo differt a Limonio maritimo minore Oleae folio C. B. Pin. 192. Parvo Limonio Narbonenſe Oleae folio Lob. Icon. 295. Limonio minore Oleae folio Barr. Icon. 790. ex Mich. Rar. In Littore Liburnenſi inter Urbem Montemque Nigrum abunde provenit, praeſertim vero in cavernulis ſcopulorum prope valetudinarium D. Iacobi.

LIMONIO 3. *ſubiunge*.

Caules quandoque folioſos gerit.

LIMONIO 5. *ſubiunge*.

Convenit cum deſcriptione Bocconii Rar. 34. & Ic. 32. 33. Folia craſſa ſunt, ſapore auſtero praedita. Univerſa Plantae ſuperficies ſaccharo propemodum incruſtata adparet, ſeu punctulis quibusdam candidis extuberantibus exaſperatur, quae per microſcopium maſſulae chryſtallinae ſunt ſub dentibus ſtridentes, ſapore ſalſo. Iulio exeunte flores e ſinu foliorum erumpunt pluribus calycibus muniti: exterius nempe foliolum eſt breviſſimum complicatum; huic inſidet foliolum aliud trilineare tubi ad inſtar complicatum, & ventricoſum, craſſitie, & duritie folia plantae aequans, ac punctulis iisdem albis variegatum. Huic rurſus inſidet calyx proprie nuncupandus, conicus, lineas 5. longus, ſubſtantia tenuiſſima pellucida, qua parte e ſecundo foliolo emergit tantillum rubens, oreque in quinque dentes ſecto. E calyce hoc erumpit flos ſpecioſus, monopetalus fig. Q. R. S. Tab. 117. Inſt. R. H. ſimilis, lineas 11. longus, infundibuliformis, ſeu hypocrateriformis, & ſciſſus in quinque lacinias ad extremitatem complanatas ac lineas quatuor longas, duas circiter latas. Initio hic laete rubet, nervo ſaturatiore utrinque in ſegmentorum medio apparente, effetus vero ad violaceum colorem vergit. Stamina quinque ſunt floris tubo adnata, quorum apices, pulviſculum luteum fundentes vix e tubo egrediuntur. Embryo capillamentis 5. brevibus candidis inſtructus, ad baſin munitur corolla, vel tubo membranaceo ſtriato, conſtante nectariis 5. ſeu corpuſculis ſemilinearibus oblongis melleum

ſuccum

ſuccum fundentibus, & in ſummitate abeuntibus in laciniam, ſeu linguam linearem albopellucidam tubo floris adnatam. Gallas apud nos numquam protulit; nec mirum, ſiquidem, uti animadvertit Raius Hiſt. T. 1. 396. proprius huius plantae fetus non ſunt, ſed Inſectorum quorumdam nidi, uti Salviae quoque Creticae bacciferae contingit.

6. Limonium peregrinum foliis Aſplenii C. B. Pin. 192. Inſt. R. H. 342. *Flores primo quidem aſpectu monopetali apparent; verum pentapetali ſunt, petalis anguſtis in extremitate nonnihil rotundatis, inſidentque calycibus elegantibus caeruleis chartilagineis.*

7. Limonium minus annuum, bullatis foliis, vel Echioides Bot. Monſp. Inſt. R. H. 342. *Flores minimi ſunt, dilute caerulei, petalis in extremitate complanatis.*

8. Limonium maritimum maius, folio longo, anguſto, acutoque, coſta in apicem ſeu aculeum inermem prolongata. *Ex Inſulis Venetis tranſmiſit Michelius.*

9. Limonium maius, anguſtifolium, geniculatum, rigidum, flore maiore caeruleo Zannich. Inſt. 164.

LINARIAE 3. *ſubiunge.*

Elatior inſequenti ſpecie eſt: folia profert auguſta, glauca, in ima caulis parte quaterna. Flores in praelonga ſpica digeſti violacei ſunt, labelli inferioris interna parte piloſa, & inodori. Fructus rotundus, exiguus, ſemen anguloſum aſperum claudit.

LINARIAE 4. *ſubiunge.*

Folia profert Antirrhini, flores inodoros, fructus rotundos, ſemenque triquetrum & rugoſum.

LINGUAE CERVINAE 2. *ſubiunge.*

3. Lingua Cervina foliis coſtae innaſcentibus Inſt. R. H. 545. *In faucibus ingentium cuniculorum, antiquitus ad Ferri venam excavandam actorum, prope Stazzemam Pagum Alpium Apuanarum laete germinantem inveni An.* 1743. *& in Hortum tranſtuli.*

Pag. 59.

LINO *ſubiunge.*

2. Linum ſilveſtre annuum, gracillimum, non aſperum, valde ramoſum, floſculis luteis ramulorum geniculis quaſi immediate adhaerentibus. *Linum ſilveſtre floſculis luteis Caeſalp.* 536. Mich. Cat. Plant. Agri Flor.

3. Linum ſilveſtre annuum, foliis longis, anguſtis, acutiſſimis & aſperis, floribus exiguis luteis umbellatim compactis Mich. ibid.

4. Linum ſilveſtre anguſtifolium, floribus dilute purpuraſcentibus, vel carneis C. B. Pin. 214. Inſt. R. H. 340.

5. Linum ſativum latifolium Africanum, fructu maiori Inſt. R. H. 339.

LINARIAE 1. *ſubiunge.*

Folia profert Urticae forma, ſed ampliora; flores autem violaceos, vel ſubcaeruleos.

LUNA-

LUNARIAE 2. *ſubiunge.*

3. Lunaria Leucoii folio (incano, floribus luteis exiguis in ſpicam diſpoſitis) ſiliqua oblonga maiori Inſt. R. H. 218.

LUTEOLAE 2. *nomen ita corrige.*

2. Luteola ſativa (atque ſpontanea) Salicis folio criſpo, minor Mich. H. Piſ. *An Luteola minima Polygalae folio Raii Syn. Ed. 3. 367. An Luteola Luſitanica pumila criſpa Inſt. R. H.* 424.? Ex Mich. Rar.

Pag. 60.

LYCHNIDI 1. *ſubiunge.*

Variat Flore ſimplici, & pleniſſimo, quod & ſpeciebus 2. 6. ac 7 contingit

LYCHNIDI 6. *ſubiunge.*

Aliam habemus flore minore ex albo palleſcente.

LYCHNIDI 13. *ſubiunge.*

Petala biſida ſunt, in extremitate denticulata, duabuſque appendicibus circa umbilicum donata.

LYCHNIDI 24. *ſubiunge.*

Flos purpuraſcens eſt, petalis integris conſtans.

LYCHNIDI 26. *ſubiunge.*

Dantur huius ſpeciei individua, quae flores tantummodo maſculinos, ſeu ſteriles; alia vero, quae hermaphroditos, ſeu frugiferos ferunt. Hermaphroditorum calyx viridis eſt, conicus, in baſi laevis, & craſſior, ſuperne turgidus, & coſtulatus, ore denticulato. Petala quinque ſunt bilinearia, intra calycem alba, & trientem lineae lata, extra calycem vero e luteo vireſcentia, & dimidio anguſtiora, reflexa, nulliſque appendicibus inſtructa. Embryo filamentis tribus vel quatuor longiuſculis albis munitur. Stamina nulla, ni male memini, extra calycem apparent. Maſculini flores e contra calyce anguſtiſſimo, ſeu tubulato conſtant, petaliſque anguſtioribus; praeterea ſtaminulis albis decem donantur, duplici ſerie digeſtis; quinque ſiquidem interiora ſunt petalis duplo longiora, & citius erumpunt; cetera autem quinque exteriora brevia e floris calatho non egrediuntur, apiceſque craſſiores ſubſtinent. Apicum omnium color primum luteus, deinde viridis eſt.

LYCHNIDI 28. *ſubiunge.*

29. Lychnis (annua) ſegetum rubra, foliis Perfoliatae (petalis florum anguſtis, pene cordatis, calyce veſicario alato) C. B. Pin. 204. Inſt. R. H. 335.

30. Lychnis ſilveſtris noctiflora alba ſimplex, calyce ampliſſimo ventricoſo & ſtriato D Micheli H. Piſ.

31. Lychnis Coronaria Dioſcoridis ſativa, floribus albis, lineis vel punctis rubris variegatis C. B. Pin. 203. Boerh. Ind. Alt. H. Lugd. Bat. part. 1. 210.

Pag.

Pag. 61.

LYSIMACHIAE 1. *ſubiunge.*
Huius ſpeciei flos lineas decem latus eſt; inſequentis vero ſex, vel 7. tantummodo.

LYSIMACHIAE 4. *ſubiunge.*
Flos totus luteus eſt, lineas 13. in diametro habens, ſectionibus lineas tres latis, ac minus quam in inſequenti ſpecie acuminatis.

LYSIMACHIAE 5. *ſubiunge.*
Flos lineas 11. in diametro habet, eiuſque ſectiones lineas 2. cum dimidia latae ſunt.

LYSIMACHIAE 6 *ſubiunge.*
Flores in cauliculorum ſummitate ſpicatim digeſti ſunt, carnei, bilineares, Cynogloſſae potius quam Lyſimachiae florum figuram aemulantes, nempe infundibuliformes, vel hypocrateriformes quinquefariam ſciſſi, ſectionibus ſeſquilineam longis, ex anguſto principio ſenſim dilatatis, ac in extremitate complanatis. Stamina quinque ſunt concoloria, tubo breviora, ſingulis ſectionibus adnata, pulverem album ex apicibus fundentia.

LYSIMACHIAE 7. *ſubiunge.*
MAIORANA hortenſis incana, & veluti ſericea, valde odorata, foliis ſubrotundis non dentatis, floribus albis, capitulis oblongis compactis, ſquamis rotundis. *Maiorana Gentile Matth.* 766. Mich. Adverſ.
2. Maiorana hortenſis minus incana, & minus odora, foliis oblongis pediculis inſidentibus, capitulis ferme uncialibus Eiusd.

MALVAE 2. *ſubiunge.*
Fructus nonnihil rugoſus eſt, & ſubhirſutus.

MALVAE 6. *ſubiunge.*
Eſt Althaea fruteſcens Luſitanica, folio rotundiori undulato Boerh. Ind. Alt. H. Lugd. Bat. part. 1. 269. *Plantae ſuperficies univerſa, nudo oculo, tomentoſa apparet, tactui vero aſpera; praeterea manus lentore quodam moſchum olente inficit. Si autem microſcopio examines, comperies ſuperficiem univerſam excepta floris corolla, conſperſam eſſe ſtellulis minimis cryſtallinis, villiſque ſolitariis ſtellarum intervalla occupantibus. Stellulae conſtant cylindro, ſeu columella breviſſima, quae in ſummitate ſex vel ſeptem rigidis villis pellucidis rotatim diſpoſitis coronatur. In eadem ſummitate columellae, ſeu mavis in centro ipſorum radiorum ſtellulae ſita eſt Glandula minima, e qua die 16. Iulii horis matutinis extillare guttatim vidi humorem pellucidum quemdam, ac lentum, ea copia ut manus & veſtes madefaceret, plantaeque ſuperficies veluti rore conſperſa appareret. Liquor iſte Moſchum cum Zibetho permixtum olet, adeoque gravis eſt, ut ſi prope plantam a Sole meridiano excalefactam tantillum conſiſtas, caput laedi ſentias. Obſervavi praeterea hac illac ſparſas per plantae ſuperficiem maſſulas quasdam cereas, ſulphureas vel luteſcentes, & moſchum*

ſchum

ſcum pariter olentes. Eas autem nil aliud eſſe ſuſpicor, quam liquidi ſuperius deſcripti partes terreas ac craſſiores, quae Solis vi aquearum & tenuiorum partium conſortio orbatae in talem reſinam concreverint. Flores terni, vel quaterni petiolis lineas 14. longis fulcti, prodeunt ex alis foliolorum duorum acutorum, duplicique calyce muniuntur, quorum uterque ſenſim ampliatur. Exterior calyx interiore minor trifariam ſectus eſt, ſectionibus ex rotunditate acuminatis, lineas novem longis, octo autem latis; aſt interior, & amplior quinquefariam ad medium uſque ſciſſus eſt in acutas lacinias unciales. Florum ſectiones unciales pariter ſunt, in ſummitate complanatae, & trifariam cordatae, purpuraſcentes vel roſeae, nervis rubris per longitudinem excurrentibus, & circa umbilicum numeroſis villis pellucidis obvallantur. Stamina purpuraſcentia ad originem coalita corymbum elegantiſſimum formant, ramuſculis ſeu pedunculis bilinearibus ſubſtinentia apices albos reniformes inodoros. Apicum autem iſtorum ſtructura per microſcopium talis apparet. Superficie laevi nitente conſtant, lineaque alba per dorſi longitudinem notantur: iuxta lineam hanc dehiſcunt; tuncque volva, ſeu tunica ipſorum apicum elateris vi repanditur, ac multifariam corrugata in conſpectum praebet plurimos exiliſſimos globulos cryſtallinos, qui pedunculi tenuiſſimi ope eidem membranae ſeu tunicae adnectuntur; brevi dein tempore, areſcente pedunculo, decidunt inter villos piſtilli baſin obvallantes. His delapſis volvae apicum exareſcunt, veſtigiaque oſtendunt cellularum quibus globuli ipſi claudebantur. Globuli autem duriuſculi ſunt, & diffracti guttulam fundunt liquoris pellucidi, utriculi tunica ſeu acino vacuo remanente. Embryo abit in ſemina 15 vel 17. reniformia, nigra, munita membrana cinerea elaſtica, qua divulſa proſiliunt. Superficiei ſeminum & Thalami, margini item calycum villi ſimplices tereteſque innaſcuntur, e quorum ſummitate guttulae liquoris pariter odorati extillant. Apices Ketmiae Sinenſis fructu ſubrotundo, flore pleno Inſt. R. H. 100. hiſce ſimiles ſunt, ſed maiores.

MALVAE 8. *ſubiunge.*

Apicum ſeu teſticulorum pulviſculus per microſcopium nil aliud apparet eſſe, quam globuli cryſtallini, albicantes, muricati quorumdam Lycoperdi ſpecierum ad inſtar.

Pag. 62.

MALVAE 23. *ſubiunge.*

Planta perennis eſt, caule procero fungoſo in arbuſculam ſeſe attollens. Folia habent ampla molliſſimis villis holoſerici inſtar veſtita. Inter hos autem obſervantur verrucae minimae tribus hirtis villis in ſummitate inſtructae, nec ullum liquorem fundentes. Floris calyx interior quinquefidus eſt; exterior vero trifidus. Floris purpuraſcentis ſectiones lineas 9. longae ſunt, ſex autem latae, & in extremitate cordatae. Plures ex his Malvae ſpeciebus Boerhaavius aliique ad Altheae genus revocarunt.

De MALVIDA *vide adnotata ſuperius* ad Abutilon.

MANDRAGORAE 1. *ſubiunge.*

Folia atrovirentia ſunt, coſtis albicantibus. Fructus ſphaeroides in diametro perpendiculari lineas 14. in horizontali vero ſeſquunciam habens, intus & extra aureus eſt, pulpa molliſſima, odore tamen adeo gravi & viroſo, ut caput laedat.

laedat. Folia floreſque e terra erumpunt Menſe Martio vel Aprili ; fructus tamen ad maturitatem perveniunt exeunte Iunio.

MANDRAGORAE 3. *ſubiunge.*
Fructus aureus eſt. An Mandragora flore ſubcaeruleo, foliis undulatis non aſperis, fructu ovato Boerh. Ind. Alt. Hort. Lugd. Bat. Part. 1. 270. *Mandragora femina flore caeruleo Barr. Obſ* 1. *Icon.* 24. *Mandragora foliis aſperis, fructu parvo ovato & acuminato, floribus violaceis Coroll. Inſt. R. H.* 1. *ex* Mich. Rar.

MANDRAGORAE 4. *ſubiunge.*
Fructus ovalis eſt, in maiori diametro decem, in minori ſex lineas habens, coloris buxei, odore gravi & viroſò. Calyx in quinque acutas lacinias ad medium uſque diviſus fructum fere dimidium veſtit. Novembri Menſe ineunte folia, & flores e terra erumpunt ; flores autem novi ſubinde ſemper ad Martii uſque initium pullulant : fructus Iunio Menſe maturitatem adſequuntur, quo tempore folia pereunt. Antiqua huius, & Piſani Horti planta eſt, ut adnotavit Michelius Rar. qui eamdem eſſe ſuſpicabatur cum Mandragora foliis aſperis, fructu parvo ovato & acuminato, floribus ſubalbidis Coroll. Inſt. R. H. 1.

Pag. 63.

MARRUBIO 2. *ſubiunge.*
Flos candidus eſt, tubo tres lineas longo, lineam lato ; labio ſuperiori erecto, bifido, lineas tres longo, ſeſquilineam lato ; inferiori vero trifido, lineas duas longo. Staminula vireſcunt, & e tubo floris non egrediuntur : apicum pulviſculus aureus eſt. Calycis os in quinque tantum ſegmenta acuminata diviſum eſt, non vero in 10. *vel* 12. *quod Marrubio albo vulgari contingit.*

MARRUBIO 5. *ſubiunge.*
Planta tota hirſuta eſt. Radice nititur capillari, ramoſque tripedales emittit graciles & humi procumbentes, folia Meliſſae ſimilia, ſerrata, rugoſa, lineas 15. *longa,* 12. *lata. E verticillis folioſis prodeunt flores, quorum tubus lineas* 3. *longus eſt ; labium ſuperius quatuor lineas longum, album, & bifidum ſectionibus intortis ; inferius vero tres cum dimidia lineas longum, tripartitum, ſectione intermedia ampliore, cordata, in fine luteſcente, ſupra medium alba, & punctulis purpureis variegata. Stamina quatuor ſunt, rubra, apices rubentes ſubſtinentia. Calyx conicus patulus, ore in quinque aculeos albos deſinente, ſemina quatuor nigra & laevia fovet :* Marrubiaſtri *Generi potius adſcribendum eſt.*

MATRICARIAE 3. *ſubiunge.*
4. Matricaria hortenſis flore ſimplici prorſus albo. Mich. Adv. *Semifloſculi coronales (qui* 10. *vel* 12. *ſunt) floſculi item diſcoidei prorſus albi ſunt.*

MEDICAE *ſubiunge.*
2. Medica marina Lob. Icon. 38. Inſt. R. H. 410. *In Littore Liburnenſi, & in ipſis moeniis Urbis Piſarum inter Aqueductus Caſtellum, & Portam* alle Piagge *dictam inveni.*

MEDI-

MEDICAGINI 2. *ſubiunge*.
Eſt Medicago ſilveſtris floribus croceis Inſt. R. H. 410.

MELILOTO 7. *ſubiunge*.
Eſt Medicago perennis humifuſa trifoliata, floribus luteis perexiguis in capitulum congeſtis, ſiliquis minimis nigricantibus rugoſis & monoſpermis Mich. Rar.

Pag. 64.

MELISSAE 5. *ſubiunge*.
Flos ſemuncialis eſt, purpureus, extus ſaturatior, interne dilutior, & lineis ſaturatioribus diſtinctus. Os in quatuor partes ſciſſus eſt, quarum ſuperior & inferior cordatae ſunt, laterales vero alatae.

Pag. 65.

MILLEFOLIO 3. *ſubiunge*.
Ad Achilleae *genus revocavit Michelius Rar. appellavitque* Achillaea Alpina maxima Millefolii folio, pinnulis latiuſculis eleganter inciſis, floribus albis.

MILLEFOLIO 4. *ſubiunge*.
In Bocconii nomine pro maritimum *ſcribe* montanum.
Hoc pariter ad Achilleam revocavit Mich. nempe Achillaea Abſintii Pontici folio, ſubhirſuta, floribus albis.

MIMOSAE *ſubiunge*.
Huius deſcriptionem accuratiſſimam vide ſis in Zanonii Hiſtoria Rariorum Stirpium a Cl. Caietano Montio digeſta, & locupletata pag. 162. *cui pauca haec ſubiungere liceat, quae in commentaria retuli An.* 1739.
Folia non expanduntur niſi quando a Sole irradiantur; eo enim occidente, vel nubibus obvelato, ſtatim clauduntur. Petiolis ipſorum foliorum adhaeret glandula acetabuliformis, oblonga, rubra, liquidum quoddam pellucidum aeſtivo tempore fundens, quod Formicae avide exſugunt, & quo propemodum inebriantur, adeo ut immotae diu maneant, ac veluti conſopitae. Flos non monopetalus eſt, ſed rotatus, vel potius caryophyllaeus: calycem habet companiformem, margine in quinque dentes diviſo, Punicae calycis inſtar. Huic inſident petala quinque, figura ad folia Plantaginellae Mentzelii accedentia, & ad baſin invicem coalita, quemadmodum in Caryophylli hortenſis floribus accidit. In ſinu horum petalorum ſita ſunt decem praelonga ſtamina, e quorum medio ſurgit piſtillus in ſiliquam abiens.

MOLDAVICA Betonicae folio, flore caeruleo Inſt. R. H. 184.
2. Moldavica Orientalis Betonicae folio, flore magno albido Coroll. Inſt. R. H. 11.
3. Moldavica Betonicae folio, floribus minimis pallide caeruleis Amman. Rar. 46.

 4. Mol-

4. Moldavica Orientalis Salicis folio, flore parvo purpureo Inſt. R. H. 11.
5. Moldavica minor caneſcens, Chamaedryos folio Amman. Rar. 48.

MOLUCCA ſpinoſa Dod. Pempt. 92. Inſt. R. H. 187.

MOMORDICAE 2. *ſubiunge*.
MORSUS RANAE foliis circinatis, floribus albis Tournef. in Act. Acad. R. Sc. An. 1705. pag. 512. Tab. 4. fig. 1. *Nymphaea alba minima C. B. Pin. 193. Nymphaea minor, ſive Morſus Ranae I. B. 3. 773. Morſus Ranae Dod. Pempt. 583. Microleuconymphaea Boerh. Ind. Alt. H. Lugd. Bat. part. 1. 282. In paluſtribus Agri Piſani, & Lucenſis frequens.*

MUSCARI 2. *ſubiunge*.
Eſt Hyacinthus comoſus albus cum ſtaminulis caeruleis I. B. 2. 584. Bulbi ſilveſtris alterum genus Caeſalp. 402. ex Mich. Rar.

Pag. 66.

MYRRHIDI 2. *ſubiunge*.
Caulis villoſus eſt, maculatus, & ad genicula ventricoſus.

NARCISSO 9. *ſubiunge*.
Eſt Narciſſus alter copioſo flore Caeſalp. 417. Mich. Rar. Flos ex albo pal-leſcit. Moleſta plerumque copia Agros circa Piſarum Urbem infeſtat, prae-ſertim Portam Lucenſem inter, & Calcenſem alle Piagge *nuncupatam. Odor florum adeo gravis eſt, ut caput laedat: propterea vulgus* Giracapo *nomen Plantae huic tribuit, quaſi vertigines excitare potis ſit.*

Pag. 67.

NICOTIANAE 3. *ſubiunge*.
4. Nicotiana minor foliis amplioribus, rugoſioribus Boerh. Ind. Alt. H. Lugd. Bat. part. 1. 230. *Floris tubus lineas 8. longus eſt, tres cum dimidia latus, ſectionibus ſeſquilineam longis e viridi luteſcentibus. Embryo ad baſin minii colore inficitur. Hujus & ſuperiorum ſpecierum univerſa ſuperficies vil-lis molliſſimis pellucidis obvallatur, quae vaſa excretoria ſunt, & e ſummita-te fundunt Reſinam, ſeu Balſamum quod folia virentia unctuoſa efficit, ſiccis autem odorem conciliat, & pituitariam membranam irritat: hoc item Chimi-co artificio ſecretum veneficas vires aſſumit.*

NIGELLAE 3. *ſubiunge*.
An Melanthium Damaſcenum flore pleno Eyſt. aeſt. o. 2. f. 10. Folia pro-fert Foeniculacea; floremque multiplici petalorum ſerie ornatum, quae rhom-boidalia ferme ſunt, candida, plerumque in ſummitate laciniata, & caeruleo colore diſtincta.

NYMPHAEAE *ſubiunge*.
In Paludibus Blentinenſibus ſponte provenit; in Lacum autem Horti noſtri translata laetiſſime germinat, & flores multos venuſtiſſimos Tulipaeformes profert.

2. Nym-

2. Nymphaea lutea maior C. B. Pin. 193. Inſt. R. H. 261. Boerh. Ind. Alt. H. Lugd. Bat. part. I. 281. *In paludibus Ficeclenſibus ac Blentinenſibus abunde provenit, inque Lacu Horti noſtri ſimul cum ſuperiori germinat, ſed flores nondum protulit; eos tamen ex ipſis Paludibus Blentinenſibus obtinui, & in Muſaeo Cl. Antonii Cocchii Praeceptoris Amicique ſummopere colendi examinavi. Folia quinque exteriora ovata, & in ſummitate nonnihil cordata, calycis vicem praeſtantia, colore aureo primum fulgent, matureſcente autem fructu ampliantur, craſſeſcunt, & e luteo vireſcunt. Fructus ficiformis minus turbinatus eſt quam Tab.* 138. *Inſt. R. H. repraeſentet. Eius cortex multifariam & irregulariter ſcinditur, ac in fruſta per aquam diſpergitur, adeo ut vinculis ſoluta pulpa, in* 10. *vel* 12. *ſegmenta peculiari membrana alba incluſa, loculamentorum Mali Aurantii ſimilia, dividatur, & aquae innatet. Plena haec ſunt muco quodam inſipido nullis verſiculis, ceu in Malo Limonia, incluſo; quod ſaponis vicem praeſtare poſſet in abluendis pannis, & Oleo Olivarum facile admiſcetur. Semina tali muco immerſa, Tritici granorum aemula, pulpam claudunt Anguriae ſeminum ſaporem referentem.*

NYMPHOIDI *ſubiunge.*
Foliorum ſuperficies inferior veſiculis aere plenis contexta eſt, quarum auxilio aquae innatare poſſunt.

Pag. 68.

OLEAE *ſubiunge.*
Folia utrinque acuminata ſunt, lineas 30. *longa, quinque cum dimidia lata. Fructus octo ferme lineas longus eſt, quatuor vero in diametro habet, intortus, niger, pulpa tenui aridiuſcula, & ſucco oleoſo ferme deſtituta.*
Duas alias Oleae ſilveſtris, ſive ſpontaneae ſpecies in Hortum tranſtuli, repertas Ann. 1742. *in Montibus Piſanis, praeſertim prope Agnanum: ſunt autem.*
2. Olea ſilveſtris, an minimo racemato fructu coracino H. Cathol. 155.?
3. Olea ſilveſtris fructu racemoſo grani Piperis magnitudine & forma Mich. Cat. Plant. Agri Flor.

OMPHALODES Luſitanica Lini folio Inſt. R. H. 140.

ONAGRAE 3. *ſubiunge.*
4. Onagra Bonarienſis villoſa, flore mutabili H. Eltham. 297. fig. 286.

ONOBRYCHIDI *ſubiunge.*
2. Onobrychis Florentina perennis elatior & erectior, foliis Viciae, flore rubello ſtriis ſaturatioribus diſtincto, fructu compreſſo aculeato & vix criſtato Micheli H. Piſ.

ONOPORDO I. *ſubiunge.*
Floſculos unius omnes formae profert, nempe hermaphroditos, tuba non bifida, & vagina inſtructos. Semina papposa ſunt, inſidentia Thalamo cellulato favi inſtar. Calyx conſtat ſquamis ſimplicibus validiſque.

Pag.

Pag. 69.

ONOPORDO 2. *ſubiunge*.

3. Onopordon ſpinoſiſſimum incanum longius radicatum, foliis anguſtis uſque ad coſtam in acutas lacinias aſſidue diviſis, caule praealto decem criſpatis & anguſtis alis aucto, flore purpureo viſcoſo odoro, calyce Cinarae. *An Ritro, o Rutro Ang.* 142. *Polyacantha Theophraſti Tabern. Icon.* 701.? Mich. Rar. *ſquamae calycis amethyſtinae ſunt*.

OPULO 2. *ſubiunge*.

In petiolis foliorum obſervavi appendices duas longas claviformes, & octo vel novem glandulas acetabuliformes, e quibus ineunte Aeſtate liquor pellucidus extillat.

OPUNTIAE 3. *ſubiunge*.

Humifuſa, ſeu pendula eſt, foliis ſeu ramis oblongis, compreſſis, ſpiniſque raris & longis exaſperatis. Flos luteus eſt, monopetalus, Malvae inſtar ad centrum uſque ſciſſus, & totus ſimul decidens. Fructus ruber vinoſo viſcoſoque ſucco turget. Quamvis autem exotica planta ſit, aeri noſtro adeo aſſuevit, ut ſponte oriatur variis in locis, praeſertim in Collibus Imprunetae. Figura Ficus Indicae Matth 311. *Plantae huic aptari poſſet, niſi quod erecta exprimitur. De duabus ſuperioribus Opuntiae ſpeciebus. V. H. ElthAm. pag.* 397. *Tab.* 295.

OREOSELINO 2. *ſubiunge*.

Eſt Seſeli Creticum in maritimis, & Collibus arenoſis Caeſalp. 295. *Semina gerit quaſi circinata ex Mich. Rar.*

OREOSELINO 3. *ſubiunge*.

Eſt Seſeli Peloponenſe alterum Caeſalp. H. ſic. pag. 39. *num.* 98. *Seſeli Creticum alterum in montibus, pluribus ab una radice caulibus Eiusd. in Op.* 295. *Mich. Rar.*

Pag. 70.

ORNITHOGALO 4. *ſubiunge*.

Petala lineas 4. *longa ſunt, unam lata.*

ORNITHOGALO 5. *ſubiunge*.

Folia bina e radice exeunt ferme palmaria, ſeſquilineam lata, & canaliculata, Amygdalarum ſapore. Caulis inter haec erumpens Menſe Februario, palmaris, rubens, in ſummitate folia duo gerit, quorum unum minus, lineas duas latum, ex adverſo maioris quinque lineas lati prodit. E ſinu iſtorum foliorum ſurgunt petiola duo nonnihil compreſſa, quorum unum altero longius, biunciale nempe, ſubſtinentia flores quinque vel ſex umbellatim diſpoſitos, conſtantes petalis ſex acuminatis, externe virentibus, interne e viridi luteſcentibus, lineas ſeptem longis, ac ſeſquilineam latis. Piſtillus trigonus, glaber,

tuba

tuba hirſuta munitur, ſtaminuliſque ſex luteis ſtipatur. Folia ſuperiora, petiola florum, ac pars petalorum inferior, praeterquam in margine, alba mollique lanugine pubeſcunt.

OSMUNDAE *ſubiunge.*

Flores, quemadmodum Michelius in Adverſariis adnotavit, ad calcem ramuſculorum fructus ſubſtinentium rotatim naſcuntur. Sunt autem filamenta ramoſa, fiſtuloſa, & nodoſa Confervae inſtar, nodis rubris, internodiis vero albis. Copioſe germinantem, & ad humanam ferme ſtaturam elatam inveni circa vetuſtas Vitrioli fodinas prope Stazzemam, ſecus torrentem il Canale delle Mulina *dictum.*

OXYDIS 2. *nomen ita corrigendum.*

Oxys lutea erecta, ſeu caulifera, noſtras, &c. *V. H. Eltham. Tab.* 221.

Planta annua eſt, & radice nititur capillari. Caulis unicus hirſutus, ad exortum rubens, ſuperne viridis, ad ſeſquipedis altitudinem aſſurgit. Ex eius nodis inferioribus folia ſolitaria, e ſuperioribus vero terna prodeunt ſimul cum petiolo flores ſubſtinente. Folia Oxydis vulgaris ſimilia ſunt, nempe trilobata, cordata, & reflexa, margine & coſtis piloſis, petiolo item piloſo, ſenſimque anguſtato. Petiola flores ſubſtinentia triuncialia ſunt, in ſummitate trifariam diviſa, adeo ut ramulus intermedius florem unum ſubſtineat, laterales autem binos. Calyx florum ſeſquilinearis in quinque foliola acuminata ad centrum uſque ſcinditur. Petalum campaniforme, patens, luteum eſt, interne ſaturatius, & ſplendens, lineas duas cum dimidia altum, ore in ſectiones quinque oblique cordatas, & convolutas diviſo: adnectitur autem fundo calycis ope unguium quinque. Stamina duplici ſerie diſtribuuntur; quinque enim exteriora linearia, quinque vero interiora & ex adverſo ſita ſeſquilinearia ſunt. Embryo tubis quinque inſtruitur, & punctulis rubris circa baſin ornatur: abit autem per maturitatem in ſiliquas quinquangulares nonnihil incurvas, villis horizontaliter ſitis indutas, lineam ferme in diametro habentes, ſexque lineas altas. Semina rubentia & rugoſa, calyptra craſſiuſcula alba elaſtica muniuntur. Sapor totius Plantae valde acidus eſt.

Pag. 71.

PAEONIAE 1. *ſubiunge.*

Eſt Paeonia mas flore purpureo Eyſt. vern. O. 6. f. 10. *Folia ſuperne atroviridia, & ſplendentia ſunt, lobis amplioribus inferne pubeſcentibus. Flores purpurei ſunt, ampli, henneapetali. Ex Mich. Rar.*

PAEONIAE 2. *ſubiunge.*

Foliorum lobi anguſtiores ſunt, & nonnihil inciſi: Flores autem minores quam ſuperioris, rubri, & octapetali.

PAEONIAE 3. *ſubiunge.*

Eſt Paeonia polyanthos flore rubro Eyſt. Vern. O. 6. *f.* 8.

PALMAE 2. *ſubiunge.*

Eſt Chamaeriphes tricarpos, ſpinoſa, folio flabelliformi, Ponted. Anthol. 147. *Per Montem Argentarium, & in Inſulis Maris Tyrrheni, ceu Urgone, Planaſia,*

naſia, Igilio, & Monte Chriſti ſponte naſcitur. In Horto noſtro ſpathas floriferas tres vel quatuor ſingulis annis profert verno tempore, quales a Cl. Pontaderio deſcribuntur. Spadicem autem, ſeu racemum fructuum obſervare ſemel contingit inter Maris repurgamenta collectum, qui figura ad Vitis Botrum quodadmodo accedebat, proindeque Uva Marina *a poſſeſſore nuncupabatur. Spadix erat colore buxeo, compreſſus, validus, fibris, longitudinalibus conſtans, in ramos plures diviſus, quorum ſummitati adhaerebant fructus e rotunditate acuminati, fructuum Lauroceraſi Thal. Tab. XIII. aemuli, duri, laeves, nigri. In baſi muniebantur tribus chartilaginibus brevibus obtuſis, quae, ni fallor, calyx floris fuerant.*

PANICO 2. *ſubiunge.*

PAPAVER hortenſe ſemine albo, ſativum Dioſcoridis, album Plinio C. B. Pin. 170. Inſt. R. H. 237. Papaver album *Offic.*

2. Papaver hortenſe nigro ſemine, ſilveſtre Dioſcoridi, nigrum Plinio C. B. Pin. 170. Inſt. R. H. 237. Papaver nigrum *Offic.*

PARNASSIAE *ſubiunge.*

PARONYCHIA Hiſpanica Cluſ. Hiſp. 478. Inſt. R. H. 507. *Calyx linearis eſt, monophyllos, quinquefariam ad centrum uſque diviſus, ſectionibus oblongis in extremitate cucullatis, gibbo in aculeum abeunte, extus hirſutis & viridibus, in margine & intus albis. Stamina quinque breviſſima, alba, apices aureos ſubſtinent.*

PASTINACAE *ſubiunge.*

PEDICULARIS Alpina altera, Aſphodeli radice Inſt. R. H. 173.

Pag. 72.

PERIPLOCAE 3. *ſubiunge.*

Calyx floris quinquefidus, & viridis eſt. Flos rotatus in quinque partes ad centrum uſque dividitur, utrinque e luteo vireſcentes, ſuperne autem lineis tribus purpureis ad umbilicum diſtinctas. Nectarium dentibus quinque acuminatis coronatum, album eſt, ac deſtillat ſuccum quemdam lentum, cui pedibus implicatas, & veluti conſopitas haerere obſervavi innumeras exiguas Muſcas ex ἀνελυτρῶν *bipennium non favificantium claſſe, unam plerumque in quolibet flore. Haud aliter Cornutus aſſerit florem* Apocyni *ſui* maioris Syriaci recti *lentore quodam extrinſecus obduci, quo fiat ut pedibus implicatae Muſcae haereant, quae & odoris, & ſaporis gratia allectae frequenter advolant. Tale quidem Apocynum* fournit un ſuc dont on fait du ſucre en Canada: on ramaſſe la roſée qui ſe trouve dans le fond des fleurs, *quemadmodum legitur in Memorabilibus Academiae Regiae Sc. An.* 1730. *pag.* 90. *Ita quoque Mel* Aſclepiadis *Creticae ſuae Muſcis pernicioſum eſſe deprehendit Cluſius Rar. CCLV. quandoquidem illas floribus inſidentes enecatas repperit. Tandem florum quorumdam Mel Apibus noxium eſſe ſatis conſtat.*

PERVINCAE. 2. *ſubiunge.*

Eſt Herba Vinca in Etruria Marcelli Virgilii in Dioſcoridem L. 4. *cap.* 140. *an Pervinca Orientalis, villoſa, flore magno violaceo Coroll. Inſt. R. H. Mich. Rar.*

Pag.

Pag. 73.

PHALANGIO *ſubiunge.*

Petala florum lactea ſunt, ſtriis pellucidis diſtincta: tria tamen exteriora ceteris anguſtiora ſunt.

2. Phalangium alpinum paluſtre, Iridis folio Inſt. R. H. 368.

PHASEOLO *ſubiunge.*

2. Phaſeolus puniceo flore Corn. 184. Boerh. Ind. Alt. H. Lugd. Bat. part. 2. 28.

3. Phaſeolus Aegyptiacus nigro ſemine C. B. Pin. 341. Inſt. R. H. 414. *Siliquae chartilagineae, ventricoſae, buxeae, & ſemina nigra hilo amplo niveo praedita, figurae Phaſeoli peregrini XIV. Leblab Cluſii Rar. CCXXII. reſpondent: Planta tamen aborea non eſt, ſed herbacea, & ſarmentoſa, Phaſeoli hortenſis in morem. Ad topiaria opera floribus elegantiſſimis ſeſe commendat; qui Piſi, vel Lathyri flores magnitudine aequant, inque ſpicis erectis diſpoſiti ſunt. Duas huius Plantae varietates in Horto colimus, quarum una flores niveos, altera purpureos, alis tamen ſaturatioribus gerit.*

PHELLANDRIO *ſubiunge.*

Eſt Phellandrium paluſtre, tenuifolium, caule craſſo, aſſidue ramoſo, & ad nodos veluti umbellifero, umbellis parvis albis nudis, &c. Mich. Rar. *E paludibus Blentinenſibus rurſus attuli.*

PHLOMIDI 3. *ſubiunge.*

Folia ceteris minora ſunt, rugoſiora, ad baſim complanata, vel tantillum acuminata. Flos ſuperioribus minor eſt, calyculorum angulis quodammodo barbatis.

PHYTOLACCAE *ſubiunge.*

Floris corolla, ſeu calyx perſiſtens, & fructum matureſcentem amplectens, uno tantummodo, non autem quinque foliolis conſtat: ſcinditur enim in quinque partes, quae petala aliis, aliis Calycis ſectiones viſae ſunt. Quamvis exotica Planta ſit, aeri tamen noſtro ita aſſuevit, ut in pleriſque locis ſponte proveniat, praeſertim in ſalictis Arni fluvii.

2. Pytolacca Mexicana baccis ſeſſilibus H. Eltham.

PILOSELLAE 1. *ſubiunge.*

Repens eſt.

Pag. 74.

PIMPINELLAE 8. *ſubiunge.*

9. Pimpinella Canadenſis ſpica longa rubente H. R. Par. Inſt. R. H. 157.

PINO 2. *ſubiunge.*

Eſt potius Pinus ſilveſtris, montana, & maritima, procerior, foliis palmaribus craſſis, peramaris, fructu anguſto, pyramidato, ſpithamam longo, deor-

ſum reflexo, cum ſquamis elevatis & cuſpidatis. *Pinus maritima altera Matth. Ic.* 112. *I. B.* 1. 258. *Pinus maritima II. Tabern. Icon.* 937. *Lugd.* 45. *Pinus ſilveſtris in maritimis Senenſibus, fructu palmari pyramidato firmiter adhaerente Matth. Deſcr.* 115. *num.* 20. *&* 30. *Pinus ſilveſtris maritima conis firmiter ramis adhaerentibus I. B.* 1. 257. *ſed Deſcr. Pinaſter I. Caeſalp.* 130. *Figura quam Matthiolus exhibet omnium optima eſt.* Mich. Rar. *In Montibus Piſanis abunde provenit.*

PINO 3. *ſubiunge.*
Ex Alpibus Latobricis attulit Michelius.

4. Pinus ſativa fructu pyramidato acuto, ſquamis protenſis acutioribus, oſſiculis fragilibus, & veluti deuſtis, calyptra ſeminum albicante. *Pinus Tarentina Plinii Libr.* 15. *cap.* 10. Mich. Rar. Pino ſtiacciamane *vulgo.*

PLUMBAGINI *ſubiunge.*
Caulium & calyculorum ſuperficies vaſculis excretoriis villiformibus veſtitur, e quorum ſummitate extillat liquor quidam lentus. Dum ramulos huius Plantae ſceletorum conficiendorum gratia exſiccarem, obſervavi eos chartam rubro colore infeciſſe. Varietatem tandem colimus flore dilutiore, eamque in paludibus Liburnenſibus ſecus Stagni Pontes & Cauponam magna in copia repperi.

Pag. 75.

POLIO 2. *ſubiunge.*
Folia latiuſcula profert a medio ad ſummum ſerrata. Eſt Hyſſopus Apulus Dioſcoridis, & Serapionis Col. part. 1. 67. *Polium montanum ramulis dodrantalibus humi ſparſis, foliis oblongis, anguſtis, leviter circum denticulatis, molli lanugine hirſutis, floſculis candidis Caeſalp.* 457. *Polium montanum Eiusd. in H. Sic. pag.* 129. *num.* 345. *an Polium montanum album ſerratum latifolium erectum maius Barr. Obſ.* 34. *num.* 325. *Icon.* 1079. *an & Polium montanum album ſerratum latifolium ſupinum maius Eiusd.* 326. *Icon.* 1074.? Mich. Rar.

POLIO 3. *ſubiunge.*
Folia anguſtiora quam ſuperioris ſunt.

POLYACANTHAE 1. *ſubiunge.*
Speciem hanc Michelius Rar. *ita deſcripſit.* Polyacantha maior annua, foliis Acanthi venis lacteis notatis, capitulis purpureis pluribus ſimul iunctis. *An Carduus leucographis purpureus, capitulis acutiſſimis, ac ferociſſimis ſpinis eminentibus ſubcircumdatis. H. Cathol. An Polyacantha maior lanceolato folio, flore purpureo Vaill. in Act. Acad. R. Sc. An.* 1718. *pag.* 199. *num.* 5.? Eamdem *quoque habemus* flore albo Mich. Rar.

POLYGONATO 1. *ſubiunge.*
Eſt Polygonatum maius, caule anguloſo craſſiore & minus procero, foliis amplioribus ſubrotundis, floribus albis maioribus, odoris, in perbrevi pediculo binis plerumque enaſcentibus. Mich. Rar. *Fructus rotundus eſt, lineas quinque in diametro habens.*

POLY-

POLYGONATO 3. *ſubiunge*.
Fructus pyriformis eſt, lineas 4. longus.

POLYPODIO 3. *ſubiunge*.
Eſt Polypodium maius, pinnulis longis ad oras undulatis & ſerratis. *Polypodium maius ſerrato folio Barr. Obſ.* 116. *num.* 1264. *Icon.* 38. Mich. Rar.

POLYPODIO 5. *ſubiunge*.
POLYPODIOIDES vulgaris, foliis anguſtis partim ad terram reclinatis & ſterilibus, partim erectis & ſeminiferis. *Polypodium anguſtifolium folio vario Inſt. R. H.* 540. *Lonchitis minor C. B. Pin.* 359. *Lonchitis altera folio Polypodii I. B.* 3. 744. *Lonchitis aſpera Dod. Pempt.* 469. Mich. Rar. *A Polypodii ſpeciebus, inter quas n. 5. In hoc Catalogo relatum fuerat, ſeiunxit Michelius, & ad novum genus revocavit, eo quod in ramulis, ſeu foliis frugiferis pinnularum pars inferior unica ſeminali capſula oneretur. In Montibus Piſanis, ac praeſertim in Valle Butenſi inter aquarum ſtillicidia in ripa quadam ſecus viam quae Butium ducit abunde provenit.*

Pag. 76.

POPULAGINI 1. *ſubiunge*.
An Farfarugio Matth. 895. *Populago maior Tabern. Icon.* 750. *ex Mich. Rar. Flores a dimidio Martio Menſe, ad dimidium uſque Aprilem profert.*

POPULO 3. *ſubiunge*.
4. Populus tremula foliis minoribus, & magis angulofis, marginulis ciliorum inſtar piloſis, pediculis brevibus appenſis. *Populus folio leviter ſerrato, inferne ſubhirſuto Caeſalp.* 121. Mich. Rar.

PRUNO *ſubiunge*.
PSEUDOACACIA vulgaris Inſt. R. H. 649.

PSEUDODICTAMNO 4. *ſubiunge*
Tomentum quo Plantae ſuperficies univerſa veſtitur, conſtat villis ramoſis, nempe villulis alterne & rotatim in ſpiram diſpoſitis, ac in ſummitate in ſtellulam terminatis, e cuius centro guttula Balſami pellucidi extillat: aliud item Balſamum extillat e glandulis ad baſim villorum iſtorum ſitis. Stellulae memoratae ſi plantam naribus appreſſeris, facile divelluntur, membranamque olfactoriam vellicantes ſternutamenta cient.
5. Pſeudodictamnus ampliſſimo Meliſſae folio crenato villoſo & ſubincano, flore purpureo, calyce anguſto infundibuliformi, Mich. Rar.

PSEUDOSPONGIAE *ſubiunge*.
Plantae haec referenda eſt ad Badiagae *Genus ab I. C. Buxbaum inſtitutum in T.* 2. *Comment. Academiae Scient. Imper. Petropolit. An.* 1727. *Diverſa tamen eſt a tribus ſpeciebus quas Buxbaumius ibidem recenſet.*

Pag. 77.

PSEUDOSTACHYDI *ſubiunge*.

2. Pſeudoſtachys Alpina nigra maxima, foliis ampliſſimis ad Viburnum accedentibus, flore ex albo purpuraſcente nonnihil variegato. *An Salvia Alpina Tabern. Icon.* 372.? Mich. Rar. *quae in hoc ipſo Catalogo pag.* 92. *inter* Stachydis *ſpecies relata fuerat.*

3. Pſeudoſtachys montana nigra maior, Betonicae folio, flore variegato. *Galeopſis montana Betonicae folio anguſtiore, flore variegato Micheli H. Piſ. Salvia ſilveſtris altera nigricans Caeſalp.* 441. *Mich. Rar. Haec item inter* Stachydis *ſpecies num.* 11. *deſcripta fuerat.*

Ad Pſeudoſtachydis *genus revocavit Michelius eas plantas, quae Stachydis quidem faciem praeſeferunt, at calyces florum campanulatos, non vero tubulatos gerunt.*

PTARMICAE 1. *ſubiunge*.
Floſculi inſident ſeminibus nudis, & ab invicem diſtinguuntur foliolis quibusdam oblongis, cilii inſtar piloſis, Thalamo adfixis.

PTARMICAE 7. *ſubiunge*.

8. Ptarmica, quae Achillea tomentoſa & incana, pinnulis criſtatis, flore ochroleuco Vaill. in Act. Acad. R. Sc. An. 1720. pag. 418. *ſpeciei* 6. *varietas*.

PULMONARIAE 8. *ſubiunge*.
PULSATILLA flore clauſo obſoleto Helwingii Florae Campana pag. 65. Tab. 11.

Pag. 78.

QUINQUEFOLIO 1. *ſubiunge*.
An Quinquefolium minus flore pallide luteo Inſt. R. H. 297.?

QUINQUEFOLIO 6. *ſubiunge*.
Eſt Quinquefolium minus erectum incanum & tomentoſum, foliis tenuiter diviſis ſuperne viridibus, flore luteo parvo, petalis obtuſis Mich. Rar.

QUINQUEFOLIO 11. *ſubiunge*.
Folia ſubtus incana ſunt, & ſemina lanuginoſa.

RANUNCULO 6. *ſubiunge*.
Folia ſubrotunda ſunt, in baſi dentata, vel ſinuata. Petala lineas decem longa, tres cum dimidia lata, ſuperne aurea & ſplendentia, ac in ungue nectario oblongo inſtructa ſunt. Calyx tribus foliolis oblongis conſtat cochlearis inſtar excavatis, & ad exortum caudatis, foliorum Sedi vermiculati inſtar.

RANUNCULO 7. *ſubiunge*.
Folia ſuperne ſecundum nervos profunde ſulcata ſunt. Petala florum unciam longa, lineas autem quatuor lata ſunt.

RANUNCULO 8. *ſubiunge*.
Petala lineas novem longa ſunt, tres autem lata.

RANUNCULO 14. *ſubiunge*.
Eſt Ranunculus Luſitanicus Autumnalis, Aſphodeli radice, foliis ſubrotundis ſerratis, caule ſimplici nudo hirſuto, flore parvo luteo odorato, &c. Mich. Rar.

RANUNCULO 46. *ſubiunge*.
Hanc & ſequentem ad Aliſmae *Genus revocavit Michelius Rar. primamque appellavit:* Aliſma aquatica maior, Plantaginis folio ampliore, floribus paniculatis ex albo purpuraſcentibus, fructu umbilicato, &c. *Alteram vero:* Aliſma aquatica media, longo anguſto Plantaginis folio, floribus paniculatis ex albo purpuraſcentibus, fructu umbilicato, &c.

Pag. 80.

RANUNCULO 48. *ſubiunge*.
49 Ranunculus Phragmites albus vernus I. B. 3. 412. Inſt. R. H. 885. *Anemonoides vulgaris monanthos, flore albo Vaill. in Act. Acad. R. Sc. An.* 1719. *pag.* 39. *num.* 1.
50. Ranunculus arvenſis annuus hirſutus, flore omnium minimo luteo Mor. Hiſt. Oxon. part. 2. 440. Inſt. R. H. 290.

RAPISTRO *ſubiunge*.
Semen globoſum inſidet baſi conicae fungoſae.
2. Rapiſtrum Pannonicum maius, Panacis Heraclei foliis, radice maxima eſculenta D. Baſſand. *Tataria Hungarica Cluſ. Hiſt. CXCI. Cl. Vir Io. Bapt. L. B. De Baſſand S. C. M. Auguſtiſſimi Romanorum Imperatoris Magnique Ducis Noſtri Archiatrorum Comes An.* 1738. *Plantarum ferme omnium Pannonicarum & Auſtriacarum a Cluſio deſcriptarum ſemina, ſed vetuſta nimis, & plerumque evanida, mecum perhumaniter communicavit, a ſe ante multos annos ſummo labore conquiſita in gratiam Magni Boerhaavii. In his erant ſemina Tatariae Hungaricae collecta An.* 1734. *quae magnitudine, colore, & figura ſemina Coriandri Officinarum quodadmodo referebant; ſed utrinque acuminata erant, coſtulis quatuor per longitudinem diſtincta, lacunis intermediis rugoſis, Piperis granorum inſtar; nucleumque fovebant unicum, rotundum, acre, oleoſum, cute nigricante tectum. Haec autem in Horto noſtro terrae commiſſa germinarunt Maio Menſe, quatuorque tantummodo folia e radice protulerunt ampla, qualia Cluſius deſcribit: adoleſcente vero aeſtate prorſus perierunt, antequam caulem floreſque exererent.*

RAPUNCULO 2. *ſubiunge*.
Eſt Scabioſa Caeſalp. H. Sic. pag. 31. *num.* 355. *Folia graminea ſunt & ſerrata; ſpica autem florum longa caerulea: ex Mich. Rar.*

RESEDAE *ſubiunge*.
Eſt Reſeda perennis glabra, foliis pinnatis, pinnulis denſioribus criſpis, floribus albis pentapetalis, ſtaminulis luteis, capſulis quadrangulis. *Reſeda*

Pli-

Plinii Hiſt. Nat. Lib. 17. *cap.* 12. *Reſeda candida Lugd.* 1119. *ſed Deſcr. Reſeda criſpa Gallica Bocc. Rar.* 77. *Reſeda Maſſilienſis, foliis latioribus criſpis Pluk. Phytogr. Tab.* 55. *fig.* 4. *Raii Hiſt. tom.* 3. 511. Mich. Rar. *In moenibus & Agro Urbis Ariminenſis ſponte provenit, quemadmodum Plinius adnotavit.*

2. Reſeda minor annua, Bellidis folio, floribus tripetalis albis, petalis bifidis, ſectionibus digitatis, fructu craſſiore trigono cernuo, ſemine granulato. *An Reſeda minor vulgaris, foliis integris Inſt. R. H.* 423.? *Mich. Rar.*

RHAMNOIDI *ſubiunge.*

Species quae in Horto colebatur, at ſuperiori hyeme periit, quemadmodum ex floribus, quos ſemel tantum protulit, cognovi, erat potius Rhamnoides florifera Salicis folio Coroll. Inſt. R. H. 53. *Flores ad baſim ramuſculorum folioſorum erumpebant mitrati, ſeu foliolo unico cinereo duplicato & connivente, mitrae, vel Atriplicis fructuum inſtar: ſingulis ſectionibus duo brevia ſtamina adhaerebant apicibus oblongis inſtructa.*

RHAMNO *ſubiunge.*

Michelius Rar. Florem non in hac tantum, ſed & in aliis Rhamni ſpeciebus non monopetalum, ſed roſaceum obſervavit.

RHAPONTICOIDASTRUM altiſſimum, caule non alato, Salicis folio amplo ſerrato, ſubtus incano & tomentoſo, capitulis rotundis purpureis parvis umbellatis, calyculorum ſquamis in latiorem & tenuiſſimum apicem deſinentibus Mich. Rar. *Eſt Serratula Virginica Perſicae folio ſubtus incano H. Eltham. pag.* 356. *Tab.* 264. Rhaponticoidaſtri *genus a cognatis differt, eo quod thalamus florum nudus ſit, villis nempe prorſus deſtitutus.*

RHAPONTICOIDES maxima alato caule, foliis ampliſſimis Cichorii inſtar diviſis, glaucis, & glabris, floribus luteis. *Iaceae Babylonicae ſimilis maximae, floribus paniculatis D. Sherard Raii Hiſt. T.* 3. 207. Mich. Rar. *quae proinde ab Iaceae ſpeciebus inter quas ſuperius pag.* 51. *primo loco deſcripta fuerat ſeiungenda eſt.*

2. Rhaponticoides maior, folio in amplas lacinias diviſo Vaill. in Act. Acad. R. Sc. An. 1718. pag. 227. num. 11. *Centaurium maius, folio in lacinias plures diviſo C. B. Pin.* 117.

3. Rhaponticoides annua, foliis Cichoriaceis villoſis, altiſſima, flore purpureo Vaill. ibid. pag. 228. num. 20. *Iacea talis in hoc Catalogo pag.* 51. *num.* 15. *deſcripta.*

4. Rhaponticoides fruteſcens, Helichryſi folio, calyce cylindraceo Vaill. ibid. pag. 227. num. 10. *Iacea capitata Roriſmarini folio Inſt. R. H.* 455. *Chryſocome alia in montibus, pluribus capitulis in unum aggregatis Caeſalp.* 539.

RHAPONTICUM humile, capite magno Strobili Vaill. in Act. Acad. R. Sc. An. 1718. pag. 224. num. 3. *Centaurium maius incanum humile, capite Pini Inſt. R. H.* 449.

2. Rhaponticum folio Helenii incano C. B. Pin. 117. Vaill. ibid. num. 1. *Centaurium maius, folio Helenii ſubtus incano Inſt. R. H. ſuperius in hoc Catalogo pag.* 23. *num.* 2. *deſcriptum.*

3. Rha-

3. Rhaponticum luteum, Iſatidis folio, alato caule Vaill. ibid. num. 4. *Centaurium maius Orientale erectum, Glaſti folio, flore luteo Coroll. Inſt. R. H* 32. *primo loco in hoc ipſo Catalogo recenſitum.*

4. Rhaponticum tenuifolium laciniatum, calyculis argenteis, minus Vaill. ibid. n. 5. *Iacea calyculis argenteis minor Inſt. R. H.* 444. *Planta annua eſt, ſubaſpera, caule anguloſo, foliorum lobis plerumque integris, floribus purpureis.*

Praeterea ad hoc genus revocandae ſunt Plantae in hoc Catalogo pag. 51. *inter* Iaceae *ſpecies deſcriptae, ſub numeris* 9. 10. 11. 12. 13. 16. 17. 18. 19. 20. 21. & 23.

RICINOIDI *ſubiunge.*

Semina per plures annos in terra deliteſcunt, & bis tantummodo, quod memini, pluribus interiectis annis ſponte germinarunt, ea copia ut aream Horti infeſtarint. In ſuperficie foliorum obſervavi plures villos ſtellaeformes, ſimiles iis quos in Malva 6. *fuſius deſcripſi.*

ROSAE 5. *ſubiunge.*

Spinis crebris munitur. Folia ſubrotunda ſunt, ſimpliciter dentata, ſuperne glabra, inferne ſubhirſuta. Flos odoratus petalis conſtat plurimis, lineas 10. *plerumque longis, & cordatis: ſtaminum locum occupant petala quaedam minora, reflexa, & convoluta. Calyx, & fructus hiſpidi ſunt.*

Eius varietatem colimus foliis acutis praeditam.

ROSAE 6. *ſubiunge.*

Pumila eſt, ſpinis tenuiſſimis armata. Folia habet oblonga, acuta, utrinque glabra, ſerrata, & ad petiolum cordata. Flos ſaturorubens, intus holoſericeus, petalis octo uſque ad ſeſquiunciam dilatatis, & unciam longis conſtans, ſtamina & apices aureos habet. Fructus rotundus ſimul cum calyce & pediculo hiſpidus eſt.

Eius varitatem colimus flore purpureo.

Pag. 81.

ROSAE 7. *ſubiunge.*

Pumila eſt, ſpinis raris tamquam villis exaſperata. Folia acuta ſunt, non, vel vix crenata, ſuperne glabra, inferne ſubhirſuta. Flos ſemiplenus, odoratus, petala habet lata, cordata, ex purpureo albo & rubro variegata, calycem vero & fructum ſubhiſpidum.

ROSAE 11. *ſubiunge.*

Erecta eſt, in arbuſculam plerumque aſſurgit, & validis rariſque ſpinis armatur. Folia Myrthi profert inferne nonnihil hirſuta, leviter & ſimpliciter dentata. Flores ſuaviter odorati pluribus petalis albis ſemuncialibus & cordatis conſtant. Fructus exiguus eſt, oblongus, & laevis.

ROSAE 12. *ſubiunge.*

Huius, & quarumdam aliarum Roſae ſilveſtris ſpecierum folia Balſamo quodam illita ſunt, Glycyrrhizae foliorum inſtar.

RORI-

RORIMARINO 2. *ſubiunge.*
Eſt Roſmarinus coronarius ſpontaneus in Ilva Caeſalp. 458. *An Roſmarino Coronario Matth. ed. Valgriſ. in fol. An.* 1585. *pag.* 833. *Mich. Rar.*

RUBEOLAE 4. *ſubiunge.*
Planta ſarmentoſa eſt, viticulis quadrangularibus procumbentibus. Folia quae ad ſingulos nodos rotatim naſcuntur, rigidiuſcula ſunt, lineas 7. longa, ſemilineam lata. Flores ſeſquiunciam longi, Lilac inſtar quadrifariam ſciſſi, extus carnei, intus albi ſunt, ſectionibus in extremitate eleganter cucullatis. Apices quatuor rubri ſunt; ſemina vero bina, Bupleuri perfoliati ſimilia.

RUBEOLAE 6. *ſubiunge.*
Eſt Gallium arvenſe flore caeruleo Inſt. R. H. 115. *Rubia caerulea erectior, & elatior I. B.* 3. 719. *Ex Mich. Rar. Planta annua eſt.*

Pag. 82.

RUBIAE 1. *ſubiunge.*
Ramuli, ſeu viticuli quotannis pereunt (ſecus ac inſequenti ſpecie) radice vivida rubraque remanente. Flores herbacei ſunt, quinquefariam ſciſſi, ſectionibus acuminatis, lineam longis, ſtaminulis praediti quinque breviſſimis, apices luteſcentes ſabſtinentibus. Embryo tuba alba inſtructus abit in baccam piſiformem compreſſam.

RUBO 7. *ſubiunge.*
Sarmenta craſſiora pentagona ſunt, aculeis longis aduncis munita. Folia Corylacea, ſuperne glabra & virentia, inferne incana & pubeſcentia, ad oras nonnihil undulata, & varie crenata ſunt. Petala ſubrotunda, lineas ſeptem longa, quinque lata, interne roſea ſunt, externe albeſcunt.

RUBO 8. *ſubiunge.*
9. Rubus Idaeus ſpinoſus C. B. Pin. 479. Inſt. R. H. 614. *Calycis ſquamae repandae ſunt; Petala vero alba, lineas tres longa, ſeſquilineam lata ſimul cum ſtaminibus erecta ſunt, & Embryoni appreſſa. Fructus dulcacidi* Lamponi *vulgo vocantur, & ad Iulapia conficienda expetuntur ex Alpibus Piſtorienſibus adlata.*
In 5. & 6. Ruſci *ſpeciebus Auctorum nomina Typographorum vitio permutata ſunt. Prius itaque eſt.* Micheli H. Piſ. *Poſterius vero* Inſt. R. H. 79.

RUTAE 2. *ſubiunge.*
3. Ruta ſilveſtris foliis tenuiter laciniatis, lobis rarioribus & brevioribus, flore luteo, petalis anguſtis, ad marginem villis longioribus praeditis Mich. Rar. *In rupibus prope Stazzemam collegi, inque Hortum tranſtuli An.* 1743.
4. Ruta ſilveſtris maior, foliorum lobis ad extremitatem dilatatis, & interdum cordatis, flore luteo, petalis cordatis D. Cocchi Mich. Rar. *Hanc Michelius olim accepit a Cl. Viro Anton. Cocchio Amico praecipuo, in praediis ſuis haud procul a Burgo S. Laurentii repertam: in Hortum autem nuper tranſtulit D. Manettius M. D. & Rei Herbariae Profeſſor, qui Societatis Bota-*

Botanicae iuſſu iter per Alpes Mugellanas inſtituit plantarum colligendarum gratia.

Pag. 83.

SABINAE 3. *ſubiunge.*

Ad Cedri *Genus revocandae ſunt hae Plantae, quemadmodum ſuperius animadverti. Secundae ſpeciei fructus baccas Iuniperi primo loco deſcripti aemulatur, ſed duriuſculus eſt, odoremque ſpirat magis reſinoſum; interne autem in tria loculamenta dividitur, in quorum ſingulis ſemina bina hoſpitantur.*

SALICORNIAE 2. *ſubiunge.*

Quamvis hae duae Salicorniae ſpecies in Maris tantummodo littore naſci ſolitae ſint, eas tamen ſimul cum aliquot aliis littoreis plantis An. 1743. *repperi laete germinantes in alveo Rivuli* il Salſero *nuncupati, qui ſalſas aquas Balnearum Montis Catini in Nebulam fluvium derivat, quamvis ea loca triginta paſſuum millibus ad minus a Mari diſtent. Eae quidem Aquae marinas ſapore aemulantur, ſi nauteam demas, rivulique memorati alveus Sale marino ſimili ſaturus eſt. Sed quo nam pacto e Mari tanto intervallo ſeiuncto* Salicorniae, Aſterum *in hoc Catalogo pag.* 12. *num.* 9. *&* 11. *deſcriptorum, &* Alſines 10. *pag.* 5. *ſemina antiquitus huc delata eſſe credendum eſt? Et cur nam in pluribus rivulis haud abſimilibus, qui Aquas ſalſas Salinarum per Agrum Volaterranum obviarum excipiunt, nullae plantae maritimae vegetant? quemadmodum in Itinere An.* 1742. *comperi.*

SALVIAE 3. *ſubiunge.*

Inferna foliorum pars glandulis numeroſis inſtructa eſt, e quibus Balſamum, ſeu Reſina luteſcens guttatim extillat, quae plantam tactui viſcoſam reddit. In ſpeciebus 4. *&* 8. *reſina albida eſt.*

Pag. 84.

SALVIAE 14. *ſubiunge.*

Flos quandoque violaceus, quandoque dilute caeruleus eſt, labio inferiori ex albo variegato. In utraque foliorum parte, inter nervos, lacunae ſeu alveoli plurimi obſervantur, ſuperne convexi, inferne cavi, villis procumbentibus undique obſiti. Spatia intermedia glandulis minimis ſemigloboſis inſtructa ſunt, e quibus guttatim extillat Balſamum fragrantiſſimum & viſcoſum, quod in globulos colligitur, & plerumque villis adhaeret, plantam tactui glutinoſam reddens, & per ſenectutem ad luteum colorem vergit. Balſamum hoc unice plantam uſui medico aptiſſimam facit, preſertim in capitis, ventriculi, & nervorum affectionibus nonnullis, in quibus decoctiones Theaeformes foliorum mirifice proſunt. Aqua enim fervens foliis affuſa Balſamum memoratum eliquat, ſibique admiſcet, adeo ut in minima corporis noſtri vaſcula penetrare queat. Ser. Coſmus III. M. D. Etr. An. 1718. *e Malacae Hiſpaniae Urbis Agro in Hortos Piſanum Florentinumque transferri curavit, quum prius folia tantummodo exſiccata ex Aragoniae maritimis in uſus medicos expeterentur.*

SAMBUCO 4. *ſubiunge*.

5. Sambucus humilis, ſive Ebulus, foliis in longos & acutos lobos diviſis, fructu maiore ovato. *Magna copia germinantem inveni in Olivetis Petraſanctanis eundo vallem* Caſtelli *dictam*.

SANTOLINAE 3. *ſubiunge*.

Floſculorum tuba bifida eſt, ipſi autem floſculi inſident ſeminibus nudis, invicemque ſeparantur foliis ſeu ſquamis quibusdam. In Alpibus Petrae Apuanae ſponte naſcitur in fiſſuris rupium marmorearum, quemadmodum obſervavi in editiſſimo iugo le Bocchette del Forno Volaſtro *dicto*.

Pag. 85.

SATUREIAE *ſubiunge*.

2. Satureia ſpicata foliis tenuiſſimis (ſpica denſiſſima) C. B. Pin. 218. variet. *Satureia foliis tenuibus, ſive tenuifolia Sancti Iuliani quorumdam I. B.* 3. 275. *Thymbra Sancti Iuliani, ſive Satureia vera Lob. Icon.* 425. *Inſt. R. H.* 198. *Clinopodium Caeſalp.* 454. Mich. Rar. *In Monte D. Iuliani, inque Montibus Oliveti, Avanae, & Filectuli prope Piſas in ſaxorum crepidinibus naſcitur*.

SAXIFRAGAE *ſubiunge*.

Saxifraga Sedi folio anguſtiore ſerrato Inſt. R. H. 252.

SCABIOSAE 11. *ſubiunge*.

Apices rubri ſunt.

Huius varietatem colimus floſculis ex albo & nigropurpureo variegatis.

SCABIOSAE 13. *ſubiunge*.

14. Scabioſa ſtellata, folio laciniato, maior C. B. Pin. 271. Inſt. R. H. 465.

Pag. 86.

SCLAREAE 1. *ſubiunge*.

Figura huius Plantae quam Rivinus exhibet T. I. Hormini *nomine, optima eſt. Univerſa Plantae ſuperficies innumeris glandulis Balſamum extillantibus referta eſt.*

SCLAREAE 4. *ſubiunge*.

Eſt Horminum ſilveſtre, maius, haematode, glabrum, flore caeruleo, Italicum Barr. Obſ. 25. Icon. 185. ex Mich. Rar.

SCLAREAE 14. *ſubiunge*.

Flos parvus eſt, labio ſuperiori violaceo vix bifido, inferiori cochlearis inſtar excavato, & ſimul cum tubo dilute caeruleo, ac circa faucem lineis quatuor nigropurpureis diſtincto. Piſtillus, ſtamina, & apices violacei ſunt, pulviſculumque luteum fundunt.

15. Scla-

15. Sclarea Pratenſis minor, foliis longis, anguſtioribus, uſque ad coſtam diviſis, flore ſubcaeruleo. *Varietas* Hormini Verbenae laciniis anguſtifolii Triumf. 166. Mich. Rar. *In Agro Piſano, praeſertim ſecus Viam Regiam Florentinam, & Liburnenſem inveni.*

SCOLYMO 1. *ſubiunge.*
Semifloſculi tuba, & vagina inſtructi ſunt, inſidentque ſeminibus, quae ariſtis 5. vel 6. coronantur, ſitaque ſunt in folliculis, ſeu ſquamis thalamum totum occupantibus, marginatiſque: ſquamae calycis interiores ſeminibus contiguis vaginae vicem praeſtant.

Pag. 87.

SCOLYMO 5. *ſubiunge.*
SCORPIUS maior arboreſcens, longioribus & validioribus aculeis munitus, foliis Iuniperi ſubtus nervoſis, ſeu ſtriatis, floribus luteis, florum calycibus, & ſemuncialibus ſiliquis villoſis. *Geniſtaſpartium maius, longioribus aculeis Inſt. R. H.* 646. *Bot. Par.* 78. *Geniſtella ſpinoſa maior, longioribus aculeis C. B. Pin.* 294. *Geniſtellae ſpinoſae affinis, Nepa quibusdam I. B.* 1. 400. *Scorpius I. Cluſ. Hiſt.* 116. *Spina Chriſti Caeſalp.* 117. Mich. Rar. *quae in hoc Catalogo pag.* 40. *inter* Geniſtae Spartii *ſpecies primo loco deſcripta fuerat.*

SCROPHULARIAE 2. *ſubiunge.*
Eſt Scrophularia Matth. 1188. *Caſt.* 406. *Dod. Pempt.* 50. *Scrophularia maior Ger. Emac.* 716. *Lob. Icon.* 533. *Scrophularia maior Matthioli Lugd.* 1085. *ex* Mich. Rar.

SCROPHULARIAE 3. *ſubiunge.*
Reſpondet figurae & deſcriptioni Scrophulariae maioris Brunf. T. 1. 213. *Ocimaſti alterius Trag.* 184. *ex Mich. Rar. Varietas ſuperioris eſt: Ambae autem folia gerunt tenuiſſime ſerrata, floremque rubrum labio inferiori viridi.*

SCROPHULARIAE 4. *ſubiunge.*
An Scrophularia Marilandica, longo, profunde ſerrato Urticae folio Raii Hiſt. Tom. 3. 396. *num.* 14.? *ex Mich. Rar. Montana eſt: Flores profert lineas* 4. *longos, atro & ſordide purpureos, labello inferiori viridi, fructumque craſſiorem acuminatum.*

SCROPHULARIAE 7. *ſubiunge.*
Folia nitida ſunt, leviter inciſa inciſuris denticulatis. Flores lineas tres longi ſunt: calycis ſectiones margine chartilagineo decorantur.

SCROPHULARIAE 12. *ſubiunge.*
Eſt Scrophularia maior, hirſuta, foliis lobatis, craſſis, ad Raphanum & Sinapi accedentibus, flore rubro octo lineas longo, cum labello inferiori viridi, fructu craſſo, pyramidato, peracuto. *An Scrophularia latifolia, laciniata C. B. Prodr.* 113. *Scrophularia foliis laciniatis Eiusd. Pin.* 236. *Raii Hiſt.* 7663. Mich. Rar.

SCROPHULARIAE 13. *ſubiunge*.
Eſt Scrophularia maior, glabra, foliis craſſis, lobatis, ad Raphanum accedentibus, flore maximo rubro, cum labello inferiori ſulphureo pendulo, capſula obeſa, pyramidata, & mucronata. *An Scrophularia peregrina altera Rark. Theat.* 611.? Mich. Rar. *Flos octo lineas longus eſt.*

SCROPHULARIAE 14. *ſubiunge*.
Eſt Scrophularia minor, perennis, glabra, foliis imis ad Atriplicem accedentibus, ceteris lobatis, flore trilineari ex rubro nigricante, cum labello inferiori viridi, fructu brevi acuminato Mich. Rar.

Pag. 88.

SEDO 2. *ſubiunge*.
Petala florum 11. *circiter ſunt, acuminata, inferne & in margine hirſuta, ſuperne glabra, e purpureo & albo variegata: ſtamina* 22. *ſunt, purpurea, apices ſubſtinentia purpureos, pulviſculo luteo fetos.*

SEDO 3. *ſubiunge*.
Calyx florum ſciſſus eſt in 10. *ſquamas bilineares, anguſtas, hirſutaſque. Petala decem ſunt ſemuncialia, intra calycem anguſta, dein ad ſeſquilineam dilatata, rurſuſque in acumen abeuntia, gibba, ſeu ſquamarum cavitati ſeſe accomodantia, hirſuta, extus carnea, ac inferiore parte vireſcentia, intus rubra. Stamina lineas tres longa, rubra, apices rubros ſubſtinent. Embryo capſulis* 10. *conſtat.*

SEDO 4. *ſubiunge*.
Caules pedales, glabri, glauci, ſeu pallentes, foliolis brevioribus ſubinde veſtiti, in ſummitate in quatuor radios ſcinduntur, qui bifariam ſubdiviſi umbellas conſtituunt Sedi vulgaris maioris in morem. Folia lineas 8. *longa ſunt, duas lata, cylindracea compreſſa, acuminata, glauca, ſuccoſa, ſapore adſtringenti. Flores petalis ſex conſtant albentibus, duas circiter lineas longis, ſemilineam latis, in acumen deſinentibus, cochlearis inſtar excavatis. Calyx viridis, craſſiuſculus, in ſex partes ſubrotundas ad medium uſque eleganter ſcinditur, quae intervallis petalorum reſpondent. Stamina alba ſunt apices luteos ſubſtinentia, eorumque ſex exteriora ſingulis petalis reſpondent, & in ipſorum curvitate hoſpitantur; ſex autem alia interiora prodeunt ex intervallis petalorum, & calycis ſectionibus reſpondent. Embryo capſulis ſex corniculatis viridibus conſtat, quae petalis reſpondent, & primum unitae ſunt, deinde vero expanduntur.*

SEDO 12. *ſubiunge*.
Flores petala ſeſquilinearia gerunt, alba, coſta ſubrubente donata; ſtamina autem decem alba. Fructus ſubhirſutus eſt, quinquecapſularis, capſulis in mucronem linearem deſinentibus,

Pag. 89.

SERPILLO 8 *ſubiunge.*
Florum ſpicae ſubhirſutae ſunt, flores autem bilineares.
9. Serpillum foliis Citri odore C. B. Pin. 220. Inſt. R. H. 197. *In pratis Alpium Apuanarum late ſe ſpargit, ſuaviſſimumque Citrei Florentini odorem conculcatus ſpirat, quemadmodum die* 20. *Octobris An.* 1743. *licet pluvioſa, & frigidiſſima obſervavi. Odor autem hic promanat a Balſamo peculiari, qui e minimis glandulis in foliorum ſuperficie ſitis extillat. Notari meretur Plantam hanc ex Alpibus in Hortos translatam, talem odorem amittere.*

SHERARDIAE *ſubiunge.*
Eſt Sherardia repens nodiflora Vaill. in Act. Acad. R. Sc.

SIDERITIDI 1. *ſubiunge.*
Planta perennis eſt, procera, Phlomidis facie, villoſa, glutinoſa, graveolens. Flores gerit parvos, initio albos, lineis purpureis notatos, mox ex albo pallentes, tandem obſoletos.

SIDERITIDI 5. *ſubiunge.*
Spica florum interrupta eſt: floris tubus lineas 4. *longus, unam circiter in diametro habet. Labium ſuperius trilineare eſt, cochlearis inſtar excavatum, in ſummitate tantillum ſciſſum, pallidum, lineiſque duabus purpureis circa faucem diſtinctum, externe ſimul cum tubo hirſutum: Inferius vero quinque lineas longum, reflexum, trifidum, cordatum, linea purpurea per medium, punctuliſque purpureis notatum. Stamina quatuor ſunt, punctis rubris adſperſa, apiceſque citrinos ſubſtinent. Calyculorum radii anguſti ſunt, & in ſpinulam terminati.*

SISYMBRIO 1. *ſubiunge.*
Foliorum lobos amplos, & rotundus gerit; flores albos, ſiliquas craſſas, incurvas, pediculo longo inſidentes.

SISYMBRIO 2. *ſubiunge.*
Folia ſuperiora non laciniata ſunt, verum ſerrata: ſiliquae autem craſſiores, & nonnihil incurvae ſunt.

Pag. 90.

SISYMBRIO 7. *ſubiunge.*
Minus ſuperiori eſt.
De Siſymbrio 8. *V. adnotata ad* Barbarareae *ſpecies.*

SMILACI 2. *ſubiunge.*
Eſt Smilax aſpera, ſpinoſiſſima, aculeis latis deorſum tendentibus, foliis praelongis & acutis, maculatis, & ad petiolum magis excavatis, margine & tribus inferioribus coſtis ſpinoſis, floribus albis, fructu rubro turbinato. *An*

Smilax

Smilax aſpera foliis maculatis, fructu rubente C. B. Pin. 296. *Smilax aſpera Cam. Epit.* 931. Mich. Rar.

SMILACI 5. *ſubiunge.*
4. *Flos, iuxta Michelii obſervationes, roſaceus eſt; calyce namque conſtat herbaceo, in ſex oblonga & anguſta foliola ad centrum uſque ſciſſo, intra quem ſita ſunt petala ſex albicantia, utrinque acuminata; ſtamina item ſex craſſiuſcula embryonem ſtipantia, qui conoides eſt, ſulcis tribus per longitudinem diſtinctus, abitque in baccam trilocularem Aſparagi inſtar.*

SMILACI 5. *ſubiunge.*
Flos monopetalus eſt, candidus, in quatuor partes reflexas ſectus, quarum ſingulis unum ſtamen reſpondet. Embryo initio candidus abit in baccam globoſam rubentem.

Pag. 91.

SOLANO *ſubiunge.*
Eſt Solanum Africanum ſpinoſum, folio caneſcente undulato H. Eltham. 270. *ni male memini; nec enim amplius ad manus eſt Hortus Elthamenſis Aureum Cl. Dillenii Opus, ex quo plura ad Catalogum hunc illuſtrandum deſumere potuiſſem.*

SOLANO 9. *ſubiunge.*
Eſt Solanum arboreſcens Caeſalp. 215. *quod nomen per errorem ſuperius pag.* 61. Lycoperſico fructu Ceraſi rubro *adſcripſeram.*

SONCHO 5. *ſubiunge.*
6. Sonchus laevis, muralis, perennis, foliis inferioribus in lobos anguloſos diviſis, ſuperioribus Polypodium aemulantibus, flore luteo. *An Sonchus laevis C. B. Pin.* 124. *Prodr.* 61. *Inſt. R. H.* 475. *Vaill. in Act. Acad. R. Sc. An.* 1721. *pag.* 257. *num.* 6. Mich. Cat. Plant. Agri Flor. *In ipſis Urbis Florentinae moeniis laete germinat, praeſertim prope Horreum publicum* l' Uccello *dictum, unde in Hortum transferri curavi.*
7. Sonchus laevis, minor, paucioribus laciniis, C. B. Pin. 124. Inſt. R. H. 475.
8. Idem flore intus pallido, extus albo. *An Sonchus laevis laciniatus, flore albo Park. Theat.* 806.? Mich. Catal. Plant. Agri Flor.

SPIRAEAE *ſubiunge.*
Flos petalis quinque albis rotundis conſtat.

Pag. 92.

STACHYDI 7. *ſubiunge.*
Eſt Cocchia Italica Stachyos facie, candidiſſima, & tomentoſa, flore luteo, ſpica magis interrupta. *Stachys minor Italica C. B. Pin.* 236. *Stachys flore ſubluteo Cam. Epit.* 575. *Stachys Dod. Pempt.* 90. *Stachys Lychnitis, inca-*

incana, anguſtifolia, flore aureo, Italica Barr. Obſ. 27. Icon. 1187. Stachi Matth. 877. Sideritis Cretica, tomentoſa, candidiſſima, flore luteo Coroll. Inſt. R. H. 12. Salvia ſilveſtris tertia, candidior, lanuginoſior, odorata, acrior Caeſalp. 441. Mich. Rar. qui plantam hanc a Stachyos & Sideritidis Generibus ſeiunxit, & ad novum revocavit, quod iure quidem optimo denominavit ab Amiciſſimo ſuo Antonio Cocchio Urbis noſtrae ornamento praecipuo.

SYLIBO 2. *ſubiunge.*
3. Sylibum albis maculis notatum, flore albo Eiusd. Ibid.

Pag. 93.

SYRINGAE *ſubiunge.*
TAGETES maior, flore luteo palleſcente Vaill. in Act. Acad. R. Sc. An. 1720. pag. 407. num. 1.
2. Eadem flore monſtroſo Eiusd.
3. Eadem radiis florum fiſtuloſis Eiusd.
4. Eadem radiis florum fiſtuloſis, diſco monſtroſo Eiusd.
5. Eadem flore aureo, varians non ſecus ac ſuperior Eiusd.
6. Eadem flore melino, varians & ipſa quoque Eiusd.
7. Tagetes media, flore luteo palleſcente Eiusd. Ibid. num. 2.
8. Eadem flore monſtroſo Eiusd.
9. Tagetes minor, flore luteo rubeſcente Eiusd. Ibid. num. 3.
10. Eadem flore monſtroſo Eiusd.
11. Eadem radiis florum fiſtuloſis Eiusd. Puzzole *vulgo vocantur, ob odorem ferme Caſtorei, quem folia ſpirant.*

TEUCRIO *ſubiunge.*
Ad Chamaedryos *genus revocavit Michelius Rar. Planta repens eſt, & radices e ſingulis fere nodis emittit. Quamvis autem glabra appareat, per ſiccitatem villos plurimos exerit. Folia coniugata ſunt alterno ſitu. Florem unum ex ala cuiuslibet folii emittit, qui albus eſt, circa faucem & in ſuperiori ſegmento maculis rubentibus notatus, ſtaminulis albis, apicibuſque rubris pulvere pallido fetis inſtructus. Calyx lineas duas cum dimidia longus, ore quinquefariam ſciſſo, & patentiſſimo, ſemina quatuor continet, quae dum viridia ſunt, vaſculis plurimis excretoriis veſiculatis cryſtallinis referta ſunt.*

2. Teucrium (folio ſubrotundo crenato) calyce tubulato, flore pallide luteolo Boerh. Ind. Alt. H. Lugd. Bat. part. 1. 181. *Teucrium multis I. B. 2. 290. Teucrium verum H. Eyſt. Chamaedrys aſſurgens Dod. Pempt. 44. Chamaedrys fruteſcens, Teucricum vulgo Inſt. R. H. 205. forte idem cum Chamaedry Alpina fruteſcente, folio ſplendente Inſt. R. H. 205. Chamaedry Alpina lucida H. R. Par. Chamaedry duriore Alpina Broſſ. folia enim non raro ſplendentia profert.* Mich Rar. *A. Chamaedryos ſpeciebus proinde ſeiungendum eſt, inter quas num. 4. ſuperius pag. 24. deſcriptum fuerat. In Montibus Piſanis frequenter obviam habui, praeſertim inter Aſcianum, & Balnea D. Iuliani, & obſervavi varietatem foliorum vel pallide virentium & hirſutorum, vel laevium obſcure virentium, & ſplendentium, a ſoli & aetatis diverſitate oriri.*

Pag. 94.

TAPSIAE 2. *ſubiunge*.
Eſt Valdebonae nomine miſſa, Libanotidis ſecundae quorumdam, ſeu Cervicariae nigrae ſpecies I. B. 3. part. 2. 167. Panax Rivin. Umbell. An. Liguſticum alterum in montibus, foliis latioribus, rotundioribus, caule craſſo, proximo Ferulae, umbellis luteis, ſemine compreſſo, rotundo, candicante, Sphondylio minore Caeſalp. 307. Mich. Rar.

THLASPIDIO 2. *ſubiunge*.
3. Thlaſpidium montanum (annuum) hirſutum, anguſtiore folio, maius, calyce floris auriculato (fructu ampliore) capſulis oblongis Micheli H. Piſ. *Thalaſpi quoddam genus in Monte S. Iuliani Caeſalp.* 366. *Iondraba Alyſſoides, ſpicata, lutea, maior Barr. Icon.* 1219. Mich. Rar. *In Monte D. Iuliani, & in ruderibus Arcis Verruculae Montium Piſanorum ſemina collegi An.* 1742.

THYMELAEAE *ſubiunge*.
2. Thymelaea Lauri folio deciduo, ſive Laureola femina Inſt. R. H. *Ex Alpibus Mugellanis D. Manettius attulit Autumno An.* 1745.
3. Thymelaea Alpina, ſaxatilis, ſerotina, Oleae (Taxi potius) utrinque glabro, & virenti folio, flore albo Micheli H. Piſ. *In Alpibus Apuanis a Furno Volaſtro eundo Stazzemam repperi*.
4. Thymelaea foliis Lini C. B. Pin. 463. Inſt. R. H. 594. *Cam. Hort.* 169. *Thymelaea Monspeliaca I. B.* 591. *Thymelaea Cluſ. Hiſt.* 87. *Herba Mora Matth.* 1318. *Thymelaea Anguill.* 297. Mich. Rar. *In Montibus Piſanis frequens occurrit, praeſertim ſupra S. Ioannem ad Venam, & Cucilianam*. Erba Corſa *vulgo appellatur, eiuſque foliis contuſis & aquae immixtis utuntur ad necandos Piſces*.
5. Thymelaea Linariae folio, vulgaris Inſt. R. H. 594. *Lithoſpermum Linariae foliis, Germanicum C. B. Pin.* 250. *Paſſerina Tragi I B.* 3. 456. *Linaria altera, botryoides, montana Col. part.* 1. 82. *Polygonum erectum Barr. obſ.* 104. *Icon.* 560. *num.* 2. Mich. Cat. Plant. Agri Flor.

THYMO 2. *ſubiunge*.
Sapore acri eſt.

THYMO 4. *ſubiunge*.
Planta quam Michelius olim e monte quodam prope Terracinam in Hortum noſtrum tranſtulit, nullum modo Hirci odorem ſpirat, ſed facie & odore ſpeciem primam prorſus refert: Ex Mich. Rar.

TITHYMALO 2. *ſubiunge*.
Eſt Tithymalus fruticoſus, ſemper virens, Salicis folio glauco, non ſerrato, & molliſſima lanugine veſtito, florum ſectionibus quaternis, reniformibus, atrorubentibus, fructu piloſo. *Tithymalus Characias Caeſalp.* 373. *Ang.* 297. *Eſula maxima Rivini: an Tithymalus characius lanuginoſus. C. B. Pin.* 290. Mich. Rar. *In Montibus Piſanis frequens occurrit, ceu inter Agnanum, & Aſcianum; in aliis item Montibus maritimis videlicet Petraeſanctae, Maciuc-*

coli, &c. A Sole meridiano percuſſus odorem graviſſimum, caputque laedentem ſpirat. Matutino tempore villi denſiſſimi quibus folia veſtiuntur, minimis roris guttulis onerantur. Tandem plantas nonnullas per ſenectutem lanugine deſtitutas eſſe animadverti.

TITHYMALO 4. *ſubiunge.*
Eſt Tithymalus paluſtris, maximus, latifolius, glaber, florum ſectionibus quaternis reniformibus, fructu verrucoſo. *Tithymalus paluſtris Caeſalp.* 374. *An Tithymalus paluſtris fruticoſus C. B. Pin.* 297. *Forte Tithymalus maximus Tabern. Icon.* 588. Mich. Rar. *In paluſtribus Piſanis, praeſertim extra Portam Lucenſem, ſaepius obſervavi.*

TITHYMALO 5. *ſubiunge.*
Eſt Tithymalus montanus, Italicus, ſemper virens, totus cinereus, Myrthi folio ampliori, peracuto, florum ſectionibus rubris, lunatis, & in cuſpide rotundatis, fructu trigono, craſſiori, laevi, ſemine non aſpero. *Tithymalus Myrſinites latifolius C. B. Pin.* 290. *Inſt. R. H.* 86. *Tithymalus Myrſinites I. B.* 3. 674. *Camer. Epit.* 961. *Matth.* 1312. Mich. Rar. *qui e Montibus Aprutinis olim detulit.*

TITHYMALO 6. *ſubiunge.*
Eſt Tithymalus arvenſis, annuus, minimus, foliis Lini anguſtiſſimis, acutis, flore perexiguo, ſectionibus quaternis ovatis, aut rheniformibus, luteſcentibus, barbula longa concolore auctis, fructu trigono ad angulos verrucoſo, ſemine laevi, &c. Mich. Cat. Plant. Agri Flor.

TITHYMALO 7. *ſubiunge.*
Eſt Tithymalus nemoroſus, dulcis, tuberoſa radice, foliis longioribus, obtuſe mucronatis, ac tenuiſſime ſerratis, floribus exiguis, ſectionibus orbiculatis, atrorubentibus, fructu compreſſo trigono, ad angulos verrucoſo, ſeminibus laevibus. *Tithymalus montanus non acris C. B. Pin.* 292. *Inſt. R. H.* 86. *Raii Hiſt.* 870. *Tithymalus dulcis, tuberoſa radice Barr. Obſ.* 6. *n.* 45. *Icon.* 999. *Bocc. Muſ. part.* 2. 50. *Tithymalus dulcis, tuberoſa radice, Italicus Eiusd. Tab.* 44. *Tithymalus tuberoſus Germanicus C. B. Pin.* 292. Mich. Rar.

TITHYMALO 8. *ſubiunge.*
Eſt Tithymalus repens, humilis, Cypariſſias dictus, foliis Linariae, umbella florum rubente, florum ſectionibus lunatis, fructu ad angulos verrucoſo, ſemine laevi. *Tithymalus Cypariſſias capitulo rubente C. B. Pin.* 291. *Inſt. R. H.* 86. *Tithymalus ſtrictophyllos I. B.* 3. 664. *Tithymalus flore atropurpureo Mentz. Pug.* Mich. Cat. Plant. Agri Flor.

TITHYMALO 9. *ſubiunge.*
Umbellam luteam profert, florum ſectiones lunatas, fructumque ad angulos verrucoſum, ſemine laevi fetum ex Mich. Cat. Plant. Agri Flor.

TITHYMALO 10. *ſubiunge.*
Eſt Tithymalus repens, humilis, Cypariſſias dictus, foliis Linariae tenuiſſimis, umbella lutea, floribus concoloribus, ſectionibus lunatis, fructu ad angulos verrucoſo. *Tithymalus Cypariſſas Matth.* 1315. *Lugd.* 1644. Mich. Cat. Plant. Agri Flor.

TITHYMALO 11. *ſubiunge.*
Elatior eſt : umbellam profert amplam viridem, flores ſubluteos exiguos, ſectionibus quaternis lunatis, fructumque oblongum ad angulos verrucoſum ſeminibus laevibus nigricantibus fetum, ex Mich. Rar.

TITHYMALO 12. *ſubiunge.*
Eſt Tithymalus repens (quandoque non repens, radice craſſa) elatior, Oleae folio glauco non ſerrato, radiis umbellae florum praelongis, foliorum ſectionibus lunatis, & breviter caudatis, fructu & ſemine laevi. *Tithymalus repens, folio Eſulae minoris Dodonaei, glauco tamen, & elatior Lael. Triunf. apud Fratrem* 65. *Tithymalo Cypariſſio affinis, lato Leucoii folio, erecta, non ramoſa, multicaulis Bocc. Muſ. part.* 2. 30. *Tab.* 15. *An Eſula minor Dod. Pempt.* 374.? Mich. Rar.

TITHYMALO 13. *ſubiunge.*
Flores exigui ſunt, luteoli, ſectionibus lunatis : fructus trigonus eſt, ſemenque laeve. In Salictis prope Florentiam, & Piſas creſcit.

TITHYMALO 14. *ſubiunge.*
Eſt Tithymalus fruticoſus, ſemper virens, glaber, & glaucus, anguſto Salicis non ſerrato folio, flore luteo, ſectionibus quinis rotundis, fructu verrucoſo Mich. Rar.

TITHYMALO 15. *ſubiunge.*
Eſt Tithymalus fruticoſus, ſemper virens, glaber, & glaucus, Salicis anguſto non ſerrato folio, flore luteo, ſectionibus quinis rotundis, fructu verrucoſo, &c. Mich. Rar.

TITHYMALO 16. *ſubiunge.*
E*ſt* Tithymalus ſemper virens, totus glaucus, foliis per baſim caulem vaginae inſtar amplexantibus, florum ſectionibus lunatis & teſticulatis, fructu oblongo & ſemine laevibus. *Tithymalus nemoroſus, acutiore folio, dulcis Barr. Icon* 834. *An Tithymalus marinus, latifolius, Italicus Eiusd. Obſ.* 6. *n.* 42. *Icon.* 823 ? Mich. Rar. *qui e Maritimis Caſtilionis Piſcariae, & Craſſetanis olim detulit.*

TITHYMALO 17. *ſubiunge.*
Eſt Tithymalus montanus, ſaxatilis, longius radicatus, Polygoni folio glauco, floribus luteis, ſectionibus ſemicircularibus in anteriori parte barbatis, & plerumque non ſerratis, fructu oblongo laevi, ſemine non rugoſo, Erba di Gabbreto *vulgo* Mich. Cat. Plant. Agri Flor. *In Collibus Imprunetanis praeſertim loco dicto* il Gabbreto *naſcitur, eiuſque radice incolae pro* Eſula *Officinarum utuntur ad Alvum movendam ; ſed memini vidiſſe me Agricolam, qui e tali Hydragogo intempeſtive, vel largius ſumpto, Teneſmo contumaciſſimo laboravit.*

TITHYMALO 18. *ſubiunge.*
Eſt Tithymalus maritimus, ſemper virens, glaucus, foliis biuncialibus ad Polygonum accedentibus, neque ſerratis, neque auriculatis, flore luteo,

fructu

fructu nonnihil rugoſo, ſemine laevi Mich. Rar. *In arenoſo Littore Volaterrano ad Oſtium Cecinae, prope novum Caſtrum a Viro Ampliſs. Carolo Ginorio Riparbellae, & adiacentium Caſtrorum Dynaſta &c. An.* 1739. *exaedificatum, parte Orientali, laete germinat, & ad bipedalem altitudinem aſſurgit.*

TITHYMALO 19. *ſubiunge.*
An Pithyuſa Ang. 294.? *ex Mich. Rar. Florum ſectiones reniformes ſunt, ſive in anteriori parte leviter ſinuatae. In Littore Liburnenſi inter Urbem & Vada Volaterrana abunde oritur.*

TITHYMALO 20. *ſubiunge.*
Eſt Tithymalus perennis, non repens, Linariae foliis creberrimis & anguſtioribus, umbella vireſcente, ſectionibus florum lunatis atque bicornibus, fructu oblongo ad angulos ſubaſpero, ſemine punctato, &c. Mich. Rar.

TITHYMALO 21. *ſubiunge.*
Eſt Tithymalus maritimus, annuus, admodum glaucus, & quaſi argenteus, foliis crebris, tenuiſſimis, florum ſectionibus lunatis & barbatis, fructu laevi, ſemine rugoſo aut punctato. *Tithymalus argenteus Leptophyllos Lael. Triumph. apud Fratrem* 65. *an Tithymalus Cypariſſius Proſp. Alp. Exot.* 64 ? Mich. Rar. *Semina e Pineto Ravennate olim attulit Michelius, quae in Horto ſata nonniſi plurium annorum intervallo vegetant, quemadmodum ſuperius animadverti* de Chamedry ſpinoſa, *& de* Ricinoide *agens.*

TITHYMALO 22. *ſubiunge.*
Eſt Tithymalus arvenſis, annuus, glaber, Bellidis folio ſerrato, umbella ampla, floribus vireſcentibus, ſectionibus quaternis ovatis, fructu laevi, ſemine rugoſo, &c. Mich. Catal. Plant. Agri Flor.

TITHYMALO 23. *ſubiunge.*
Eſt Tithymalus arvenſis, annuus, foliis ſubrotundis non ſerratis, floribus herbaceis perexiguis, ſectionibus lunatis & longius barbatis, fructu trigono glabro, ad angulos membranulis duabus anguſtiſſimis aucto, ſemine rugoſo, &c. Mich. Cat. Plant. Agri Flor.

Pag. 96.

TITHYMALO 25. *ſubiunge.*
26. Tithymalus fruticoſus ſemper virens, Salicis folio peranguſto, acuto, & ſerrato, flore luteo, ſectionibus quaternis longius barbatis, fructu laevi exquiſite triangulari, ſemine non rugoſo Mich. Rar.
27. Tithymalus montanus, ſaxatilis, fruticoſus, & ceſpitoſus, humilis, caulibus lignoſis, tenuiter & denſe ramificatis, Hyperici folio glauco, florum ſectionibus quinis, ſubrotundis, fructu verrucoſo, ſemine laevi. *Tithymalus Epithymi fructu Col. par.* 2. 51. *& Raii Hiſt.* 872. *Eſula fruteſcens, ſeu Pityuſa Romanorum Barr. Icon.* 197. *Eſula minor fruteſcens, ſpinis longis horridis Mentz. Pug. Peplus altera ſpecies C. B. Pin.* 292. *Alypum Caeſalp.* 375. *Alipo Matth.* 1343. Mich. Rar. *In Monte D. Iuliani prope Balnea Piſana, & in Monte Neo Agri Volaterrani ſecus viam quae Quercetum ducit, inveni. Mentzelius ramulos vetuſtos & aridos ſpinas eſſe credidit.*

TORDYLII *nomen ita emendandum eſt.*

Tordylium maius vulgare, ſeminibus limbo quaſi laevi Moris. Umbell. 66. *Tordylium Italicum minus (maius potius) Micheli Hort. Piſ. Seſeli Creticum maius C. B. Pin.* 161. *Caucalis maior, ſemine minus pulchro, hirſuto I. B.* 3. *part.* 2. 85. *Pimpinellae Romanae alterum genus ſilveſtre Caeſalp.* 315. Michel. Rar.

2. Tordylium Narbonenſe minus Inſt. R. H. 320.

TRACHELIO *ſubiunge.*

E Monte Baldo Michelius attulit. Figura quam proponit Barrellerius Icon. 683. *nomine* Valerianae caeruleae Urticae folio, *omnium optima eſt. Flos lineas tres longus eſt, variatque colore intenſe vel dilute caeruleo.*

TRAGOPOGONO *ſubiunge.*

2. Tragopogon purpureum, anguſtifolium, flore amplo, calyce brevi Mich. Cat. Plant. Agri Flor.

TRAGOSELINO 2. *ſubiunge.*

Semen Aniſi odorem & ſaporem refert;

TRAGOSELINO 3. *ſubiunge.*

Caulem glabrum gerit, folia inferiora Pimpinellae minoris, ſed criſtata, ſuperiora vero multifida, ſeu in anguſtas lacinias diviſa; umbellas autem albas, omnes nudas, & ſemen oblongum glabrum. An Tragoſelinum minus Inſt. R. H. 309. *? Ex Mich. Rar.*

Pag. 97.

TRIFOLIO 10. *ſubiunge.*

11. Trifolium ſemen ſub terra condens H. R. Par. Inſt. R. H. 406. *In Argilloſis Collibus Vallis Herae, veluti inter Palariam & Toianum, ſemina collegi. Hirſutum eſt; folia gerit cordata, flores autem albos digeſtos in capitula circinata, longis pediculis nixa, quae dum ſemina matureſcunt, intra terram ſe condunt, adeout ſemina germinent, & radices agant.*

TURRITIDI 3. *ſubiunge.*

In foliorum ſuperficie verruculae minimae, tribus ſpinis ſtellatim poſitis in apice ornatae, obſervantur, quod Malvae Moſchatae, & Ricinoidi *quoque contingere adnotavi.*

TUSSILAGINI *ſubiunge.*

Corona floris conſtat ſemifloſculis tenuiſſimis, qui in linguam ferme capillarem abeunt, inſidentque ſeminibus pappo breviſſimo, nec niſi per microſcopium apparente inſtructis: Floſculi autem diſcoidei inſident ſeminibus ampliore pappo inſtructis. Thalamus favi inſtar cellulatus eſt.

VERA-

VERATRO 1. *ſubiunge*.
Folia lata, glabra, & viridia profert. Caulis florifer in 30. circiter ramulos dividitur, in quorum ſingulis viginti plerumque flores ſiti ſunt, qui dimidio circiter Auguſto Menſe explicantur, & partim frugiferi, partim ſteriles ſunt. Prodeunt autem e ſinu ſquamae, ſeu folioli viridis, cavi, & petiolo nituntur bilineari hirſuto. Petala ſex ſunt ſplendentia, bilinearia, ſeſquilineam lata, in acumen deſinentia: ſtamina lineam longa nigropurpurea ſunt, ſimul cum petalis, & apicibus pulverem aureum fundentibus.

VERATRO 2. *ſubiunge*.
Eſt Veratrum ſerotinum, foliis utrinque glabris, flore ſubviridi maiore, ſeu petalis lineas quatuor longis, unam circiter latis Mich. Rar.

VERATRO 3. *ſubiunge*.
Eſt Veratrum foliis ſubhirſutis, & inferne candicantibus, floſculis herbaceis circa faſtigium caulis. *Helleborum album, foliis ſubhirſutis inferne candicantibus, floſculis herbaceis circa ſummum caulem naſcentibus, cohaerentibus Caeſalp.* 580. Mich. Rar.

VERBASCO 1. *ſubiunge*.
Eſt Verbaſcum vulgare, flore luteo magno, folio maximo I. B. 3. App. 871. *Verbaſcum album femina luteo flore Dod. Gall.* 91. *Verbaſcum Chabr. Sciagr.* 493. *Verbaſcum nigrum Fuchſ. Hiſt.* 848. *Folia profert Helenii ſimilia, rariora, rotunde crenata, imis per baſim laciniatis, ceteris integris, & in duas alas ſecundum caulem breviter productas abeuntibus. Spica florum non ſtipata eſt, ſed gracilis & folioſa. Flores biunciales ſunt, in ambitu nonnihil criſpi, lutei, ſtaminulis & apicibus concoloribus, & lanugine albicante ad ſtaminum baſim praediti, ex Mich. Rar.*

VERBASCO 2. *ſubiunge*.
Eſt Verbaſcum foliis incanis, mas, latifolium, floribus luteis arcte caulibus adhaerentibus, ſine foliis anguſtis inter flores emanantibus Mor. Hiſt. Oxon. part. 2. 485. *ſect.* 5. *Tab.* 9. *fig.* 1. *Verbaſcum latius Dod. Pempt.* 143. *Verbaſcum, aut Phlomis vulgaris mas Dioſcoridis, Thapſus barbatus Officinarum Lob. Icon.* 561. *Verbaſcum album vulgare, ſive Thapſus barbatus communis Park. Theat.* 60. *Verbaſcum* 1. *Matthioli Lugd.* 1298. *Thapſus barbatus Ger. Emac.* 778. *Verbaſco* 1. *Matth.* 1202. *Verbaſco Caſt.* 468. *Tomentoſum & incanum eſt, foliis Helenii ſerratis, per baſim in binas alas ſecundum caulem longius productas vix diviſis. Spica florum denſa eſt, non folioſa, floribus onuſta parvis luteis, ſtaminibus & lanugine concolore, apicibus croceis.*

VERBASCO 3. *ſubiunge*.
Eſt Verbaſcum Lychnite Matth. 1206. *Ger. Emac.* 775. *Tabern. Icon.* 566. *Phlomis Lychnitis Matthioli Lugd.* 1303. *Phlomis mas alter, Verbaſcum Lychnite Matthioli Lob. Icon.* 562. *Verbaſcum femina Lob. Obſ.* 303. *Lugd.* 1300. *ex Mich. Rar.*

VERBASCO 5. *ſubiunge*.
An Verbaſcum nigrum Dioſcoridis Lob. Icon. 502. *Verbaſcum nigrum Ger. Emac.* 707. *Verbaſcum VII. Caeſalp.* 347.? *Ex Mich. Rar.*

VERBASCO 6. *ſubiunge*.
Folia obtuſe mucronata ſunt.

VERBASCO 7. *ſubiunge*.
An Verbaſcum mas anguſtioribus foliis, floribus pallidis C. B. Pin. 239. *Ex Mich. Rar.*

VERBASCO 9. *ſubiunge*.
10. Verbaſcum perenne, Conyzae folio leviter ſerrato, floribus violaceis parvis, plerumque ſolitariis, ac longo pediculo fultis. *An Blattaria flore nigrae Violae, colore eleganti nitente C. B. Pin.* 241. *Inſt. R. H.* 148. Mich. Rar. *Circa Blentinam Ditionis Piſanae Oppidum inveni*.

VERBENAE 2. *ſubiunge*.
Eſt Verbenaca Matth. 1107. *Cam. Epit.* 797. *C. B. in Matt.* 742. *Mich. Rar.*

Pag. 99.

VERONICAE 9. *ſubiunge*.
Caulis alba languine pubeſcit; flores autem caerulei ſunt.

VERONICAE 13. *ſubiunge*.
Eſt Veronica ſpicata, erecta, & elatior, caulibus ramoſis, glabris, rubentibus, foliis longis, anguſtis, peracutis, a medio ad ſummum altius & acute dentatis, floribus caeruleis Mich. Rar.

VERONICAE 14. *ſubiunge*.
15. Veronica ſpicata, ſubhirſuta, ramoſa, erecta, foliis anguſtis, acutis, a medio ad ſummum argute dentatis, ſpica caerulea, longiſſima, tenuiore. *Veronica ſpicata, caerulea, hirſuta, erecta, caulibus rubentibus, flore maiore Micheli H. Piſ an Veronica mas Ang.* 244. Mich. Rar. *In argilloſo Colle ſecus Viam Regiam Piſanam, prope Cauponam* la Rotta *dictam, ſponte creſcit, indeque in Hortum tranſtuli*.

VIOLAE 1. *ſubiunge*.
In Hortis Piſanae Urbis vulgatiſſima eſt, floreſque plurimos pleniſſimos dilute caeruleos, ac ſuaviter odoratos conſtanter profert; in Hortos vero Florentinos translata, brevi vel perit, vel flores ſimplices tantum gerit.

VIOLAE 4. *ſubiunge*.
Folia acuminata ſunt, quaeque primum erumpunt, undique, caetera ſuperne tantum pubeſcunt. Calyx foliolis quinque acuminatis conſtat. Petala nivea ſunt, quandoque circa unguem lutea, & externa parte purpuraſcentia, in ſummitate retuſa, & tantillum cordata. Fructus craſſior eſt, rotundus, & hirſutus.

VIOLAE 6. *ſubiunge*.
Viticulos palmares emittit, veſtitos foliis latis, ſubrotundis, utrinque ſubhirſutis. Flores e ſinu foliorum prodeunt petiolo ſeſquiunciali fulcti, dilute

purpu-

purpurei, ferme inodori. Petalum inferius & repandum lineas quatuor cum dimidia longum eſt in baſi albidum, lineis violaceis diſtinctum: reliqua lineas quatuor longa, duas lata; omnia vero retuſa ſunt, & in extremitate cordata. Ex his vero duo intermedia in baſi luteſcunt, & binis lineis violaceis notantur; duo alia & ſuperiora in baſi albeſcunt. Calyx quinque foliolis purpureis conſtat. Fructus globoſus, trigonus, glaber, foliolis tribus circinatis & excavatis tegitur.

VIOLAE 7. *ſubiunge.*
E radice repente ſarmenta plura procumbentia emittit, cubitalia, anguloſa, laevia, alternatim veſtita foliis ſeſquunciam longis, ſemunciam latis, ad petiolum cordatis, in margine ſerratis, in acumen abeuntibus, ſuperne ſubhirſutis, inferne glabris & nitidis. Petiolo haec fulciuntur unciali, prodeuntque e ſinu duorum foliorum anguſtiſſimorum crenatorum. Ex eodem ſinu prodeunt flores petiolo unciali, duobus anguſtis foliolis in ſummitate aucto. Petalis hi quinque conſtant violaceis, retuſis, quorum inferius lineas tres cum dimidia longum, ſex latum, a medio ad imum albeſcit, purpureis venis, maculaque violacea notatum; cetera quatuor paullo anguſtiora in baſi albeſcunt, & lineis purpureis villiſque albis decorantur. Stamina petiolo proxima craſſa ſunt, calcari viridi intra calyptram latente inſtructa. Calyx foliolis quatuor lunatis conſtat: tandem fructus trigonus eſt, anguſtus, & ſemuncialis.

Pag. 100.

VIRGAE AUREAE 2. *ſubiunge.*
Planta tota pallide viret: folia minus ſerrata ſunt, & complanata: ſemifloſculorum lingua lineas tres cum dimidia longa eſt, unam circiter lata, non ſulcata, neque in extremitate ſciſſa.

VIRGAE AUREAE 3. *ſubiunge.*
Planta tota atroviret: folia leviter ſerrata ſunt: ſemifloſculorum lingua lineas duas circiter longa eſt, unam lata, & ſulcata.

VIRGAE AUREAE 4. *ſubiunge.*
An Virga Aurea Alpina Laurinis rigidioribus foliis Bocc. Muſ. part. 2. 31. Tab. 16. Inſt. R. H. 484.? Ex Mich. Rar Flores in panicula ſparſa digeſti ſunt: ſemifloſculos coronales ſeptem gerunt, lingua duas lineas cum dimidia longa, unam lata, utrinque acuminata.

VIRGAE AUREAE 6. *ſubiunge.*
Foliorum ſuperficies alveolis quibusdam minimis excavatur, intra quae ſitae ſunt glandulae liquidum quoddam fundentes, quod avide ſurgunt minimae quaedam Muſcae nigrae alis longis praeditae, quarum copioſum examen aeſtivo tempore plantam obſidet.

VIRGAE AUREAE 9. *ſubiunge.*
Planta haec exotica climati noſtro adeo aſſuevit, ut in diverſis Etruriae partibus, praeſertim ſecus Arnum Fluvium in maxima copia ſponte germinet.

VITI

VITI *ſubiunge.*

Flores huius Plantae non in botros, ſed in umbellas diſpoſiti ſunt. Calyce donantur exiguo, obſcure quinquefido, intra quem ſita ſunt petala quinque e viridi luteſcentia, ſeu herbacea, ſeſquilineam longa, ſemilineam lata, eleganter reflexa, in ſummitate retuſa, & cucullata. Stamina quinque iis reſpondent, erecta, alba, linearia, capillaria, apices biventres ſubſtinentia, qui pulviſculum citrinum fundunt. Embryo pyramidalis eſt, ſeu conicus, & nonnihil ſulcatus, abitque in baccam nigram, globoſam retuſam, Piſi magnitudine, parum ſucculentam, ingrati ſaporis, duobus ſeminibus craſſis fetam.

2. Vitis Caroliniana. *Elegantiſſimam hanc ſpeciem Michelius ex ultimo ſuo itinere redux attulit, eoque nomine indigitavit: necdum autem compertum habeo cui nam dono accoepta referenda ſit, & an deſcripta adhuc dum fuerit. Pumila eſt, ſemper virens, ſarmentoſque emittit graciles. Folia non ſimplicia ſunt, ſed e pluribus compoſita, aut lobata, Aquilegiae, vel Apii dulcis inſtar, lobis ſerratis & laciniatis, triplicique ſerie digeſtis. Flores in umbellas latiuſculas, ex pluribus minoribus compoſitas diſpoſiti ſunt, & antequam expandantur globoſi apparent. Eorum calyx exiguus in quinque obtuſos dentes dividitur. Petala quinque ſunt ſtellatim poſita, externe viridia, interne e viridi luteſcentia, linearia, e lato principio in acutum deſinentia, in margine contracta, ſeu cochlearis inſtar excavata. Petalis reſpondent totidem brevia ſtamina curva, rubra, apices ſubſtinentia bicapſulares luteos, & ſtipantia Embryonem qui figura Ficum imitatur, eſtque viridis, lineam longus, limbo ſeu nectario per medium excurrente, e quo mel mucoſum extillat. Delapſis petalis tuba in vertice Embryonis ſita nonnihil prolongatur, Embryoque ſenſim craſſeſcens abit in baccam ſuperiori ſpeciei ſimilem, ſed pyriformem.*

ULMARIAE *ſubiunge.*

Petala florum candida ſunt, linearia, rotunda, pedunculo donata; apices autem citrini.

URTICAE 3. *ſubiunge.*

Caulis ſtriatus eſt; folia autem alterna, repanda, cava, & admodum rugoſa ſunt, ſpinulis praedita articulatis, tenuibus, non urentibus, pellucidis, intortis, & e verrucis quibusdam pellucidis erumpentibus. Ex alis foliorum trium inferiorum prodeunt ſinguli, vel bini florum maſculinorum, ſeu ſterilium racemi, qui in umbellam quodadmodo tortuoſam & repandam ſparguntur inter folia latentem. Flores in facie ſuperiore racemi prodeunt, e ſinu foliolorum duorum acutorum, pentapetali, petalis externe viridibus, & in cornu, Paronychiae petalorum inſtar, deſinentibus: reſerantur autem vi & ope ſtaminum quinque elaſticorum apicibus albis didymis praeditorum, quemadmodum in Parietariae, Chenopodii, &c. floribus contingere diximus, nectariumque in centro fovent ſubrotundum ac viſcoſum. In ſummitate ramorum, & e ſinu ſuperiorum foliorum prodeunt ramuſculi florum ſeminiferorum, haud abſimilis iis, qui flores ſteriles tantummodo gerunt. Eorum extremitates abeunt in foliola plerumque linguiformia, coſtata, & cordata, e quorum inciſura pendet calyx conſtans foliolis duobus exiguis amplexantibus Embryonem compreſſum ſemicirculare, munitum roſtro incurvo & praelongo, qui tuba capillaris alba & cirroſa, ſive pennata fuerat.

Pag. 101.

URTICAE 10. *ſubiunge.*

Flores femininos, & maſculinos in una eademque ſpica gerit. Maſculini, vel ſteriles, e ſummitate ſpicarum ſeu racemorum prodeunt ſingulares vel bini, petiolo exiguo donati, calyce conſtantes pelviformi in quatuor lacinias cucullatas ſecto: ſtamina quatuor fovent elaſtica, ferme articulata, ac Parietariae ſtaminum prorſus ſimilia, in quorum centro ſedet nectarium columnatum, & in ſummitate concavum. Inferiorem ſpicae partem occupant 20. *vel* 25. *flores feminini, ſeu Embryones ovati, compreſſi, tuba cirroſa inſtructi, clauſi folliculo quodam mitrato conſtante foliolis duobus in baſi cordatis, & calyci monophyllo naviculari adhaerentibus.*

11. Urtica foliis profunde laciniatis, ſemine Lini, Amman Rarior. 173. Tab. 25. *Semina ipſe Cl. Ammanus mecum perhumaniter communicavit Ann.* 1738. *nomine* Urticae Davuricae foliis laciniatis trifidis. *Flores maſculini ſimiles florum Urticae ſuperioris ſunt, herbacei, pallidi, in ſpicas diſpoſiti, quae e duobus tantummodo nodis, ſeu verticillis foliorum prodeunt in ima caulis parte, utrinque binae: e ſuperioribus enim* 12. *nodis prodeunt ſpicae ſeminiferae tantum.*

XANTHIO 1. *ſubiunge.*


Eſt Xanthium Dod. Pempt. 439. *Lappa minor, Xanthium Dioſcoridis C. B. Pin.* 194. *Xanthium ſive Lappa minor I. B.* 3. 572. *Xanthium Fuchſ. Hiſt.* 579. *Xanthio ovvero Lappa minore Matth.* 1263. *ex* Mich. Rar. *Univerſa Plantae ſuperficies albicans, vel dilute vireſcens eſt; ſequentis autem rubra.*

In Xanthii 5. *nomine pro* ſubrotundo validioribus, *ſcribe* ſubrotundo, craſſiore, validioribus, &c.

YUCAE 2. *ſubiunge.*

Tab. VII. Exhibet Plantae huius folia, flores, & fructus. Spica florifera venuſtiſſima, quam An. 1740. *examinavimus* 307. *floribus onuſta erat, in ramulos* 33. *diſtributis.*


F I N I S.



Antonius Falleri fecit · *Marcus Ant Corsi sculp.*


TAB. I
Fig. 3.
Fig. 4.
Fig. 1.
Fig. 5.
Fig. 2.

TAB. II.



TAB. III.



TAB.IV.




TAB.V.





TAB.VI.






TAB: VII.
Fig: 1.
Fig: 2.
Fig: 3.
Fig: 4.
Fig: 5.
Fig: 6.